

Rubr. X.

Nro. 410.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

PHILOSOPHIA
ETHICA EX
ARISTOTELE ET
ALIIS METHODI-
CE REPETITA,

STUDIO

Guliel. Adolphi Scribonii
Marpurgensis.

*Cui additur MENON PLATONIS sive
Dialogus de Virtute, ab eodem autore
brevissimè illustratus.*



BASILEAE
apud CONR. VVALDKIRCH.
CL. MD. XXCVI.

PHILOSOPHIA
ETHICA EX
ARISTOTELLE ET
ALII METHODICIS
DE REPETITIONE

STUDII
Guilj. Adolphij Schouneri
Marpurgensis

CHILMONTIENSIS
DIGNITATE
DIGNITATE

1711
MARPURGI



ILLVSTRIET GE-
 NEROSO DOMINO,
 DOMINO SIMONI, CO-
 MITI IN LIPPIA ET RETH-
 perg, Domino in Esentz, Stedes-
 dorpff & VVitmunden, Do-
 mino suo Clemen-
 tissimo.



*U*M non tam jucunda &
 utilis sit omniū ingenua-
 rum artium cognitio, quàm
 ad conservandum homi-
 ni vitam summoperè ne-
 cessaria: eas tamen prae-
 pue cognoscendas, studiosissimèque addiscen-
 das esse censemus, quae plus quàm reliquae
 mortalium generi utilitatis adferre consue-
 verunt. Quales sunt, non quae aliis tantum
 commodius intelligendis inserviunt atque
 subministrant, sed quae ipsissimam rerum do-
 ctrinam nobis describunt & exhibent, Phy-
 sica & Ethica. Ex his siquidem tum cuncta-
 rum vitae nostrae actionum ritè informanda-
 rum scientiam nobis comparare possumus.

EPISTOLA

Etsi harum quoque collatio sit instituenda Ethica certè Philosophia tantò nobilior sublimiorq; apparet, quantò subjectum ejus, quàm Physicæ artis, illustrius est. Versatur enim circa animum bonis moribus excolendum, ut honestatem in omni vita ob oculos positam habeamus. Nempe docet hæc honestè, officiosè, virtuti cõgruenter, & tandem beatè vivere. Hæc omni ætati, omnibûsque hominibus sua officia, & quid eos facere conveniat, legitimè præscribit. Unde etiam Græci ista officia, κατὰ τὸ δίκαιον, ceu rectè facta, teste Cicerone vocarunt. Hæc optima verissimâque animi cultura est, actiones universas, prout decet, dirigens ac gubernans. Hæc denique Justitiæ, quæ hominum societatem conversationemque conjungit & tuetur, moderatrix est: adeoque totius Jurisprudentiæ, ceu legum cunctarum scientiæ fons & origo est. Dignissima igitur, quæ ab omnibus liberalibus ingeniis, & heroicis principibusq; hominibus, quibus aliquid novisse cordi est, vel mediocriter saltè percipiatur. Quid si absolutissimam plurimarum rerum scientiam adeptus sis, ac turpiter tamen & immodestè vivas? An propter cognitionè, aut multiplicem

DEDICATORIA.

tiplicem eruditionem laude dignus sis? Non sanè. Morum integritas plus hominem exornat, quàm rerum notitia. Et eruditissimus quisque culpatur, si non ex rationis præscripto vivat, & bene moratus sit. Qui verò moribus excultus honestè vivit, is commendatur etiam à multis, ut maximè haud insignè sibi scientiam comparavit. Ethica igitur disciplina diligentissimè omnium cognoscenda fuerit. Quod cum Socrates intellexisset, Philosophiã à cælis ad terras denuò revocavit, id est, Ethicam quoque, que acctionibus hominum moderãdis leges præscriberet, introduxit, ut cum Physica, quam prisca homines in primis coluissent, illam quoq; sedulo cum suis exercerent. Istam verò Socratis doctrinam Plato in multis suis dialogis passim nobis descriptam reliquit, præsertim in 10. libris de legib. & totidem de repub. itè separatim in Menone, & alibi. Aristoteles postmodum tum in Nicomachicis, tum in aliis alio nomine inscriptis Ethicis copiosè hanc Philosophiæ partè tractavit. Quid igitur est quod à nostris tentopere negligitur atque cõtemnitur? An quòd minus Methodicè, sed cõfusè & perplexè admodum à plerisq; descripta sit? Certè

EPISTOLA

hoc unum est, quod multos à multis autori-
 bus scriptisq; eorum absterruit. Methodus si-
 quidem neglecta omnem intelligentiam im-
 pedit. Annón igitur quesiveris, Aristotelis
 Ethica catholica est & sufficiens? Anné is
 accuratè satis & copiosè illam tradidit? Plu-
 rima quidem scripsit, quorum tamen multis
 Philosophia Moralis carere poterat. De vitiis
 ferè plura, quàm de ipsis virtutibus docuit,
 eaq; universa ordine satis præpostero. Imò e-
 tiam, quæ omnium primò requiritur, defini-
 tio Ethices nulla ponitur, virtutes enume-
 rantur ac distribuuntur, antequam quid sit
 virtus generaliter explicetur. Interpretes ta-
 men & ipsi hūc ordinem, ceu bonum atq; le-
 gitimum, in suis cōmentariis studiosè obser-
 varunt. Et hæc præceptorum confusio mul-
 tos discipulos molestavit, ac fecit, ut artem il-
 lam omninò difficilem & intricatā esse pu-
 tarent. Altera causa est, eaq; quodāmodo gra-
 vior, q̄ pleriq; ex recētoribus sibi persuasissi-
 mum habeant, Ethicam scientiam nulla ra-
 tione distingui posse à Theologia, utpote quæ
 verius & rectius de omni virtutum genere
 præcipiat, illam scilicet esse Theologiam, &
 vicissim. Sed si probè attendatur, maximum
 est

DEDICATORIA.

est utriusq₃ scientiæ discrimen. Theologia est scientia sive ars Deum rectè cognoscendi: Ethica verò scientia est informandi mores, præsertim verò externos, ut animus iis excultus semper virtuti congruenter vivat. Definitio diversa utriusq₃ diversum quoq₃ subiectum atq₃ finem arguit. Neutiquā igitur artes istæ sunt cōfundenda. Multi Ethnici, aliq₃ populi inculpate honesteq₃ coram mundo vixerunt, illustribus multis virtutibus exornati, Deum tamen rectè haud cognoverunt: ut Turcæ. Judæi, &c. q₃ plurimas virtutes absq₃ perfecta D E I cognitione exercuerūt. Ethici itaq₃ fuerunt, non autem Theologi. Id q₃ satis arguit, Ethicā à Theologia multum differre. Aliud est mores excolere, aliud est DEUM verum cognoscere. Adeoq₃ utilissimū est scire quousque natura in moderandis actionibus hominum, & morum cultura progredi possit, etiam in iis qui Theologiam nunquam audiverunt. Quamobrem Ethica inter reliquas Philosophiæ partes germanas retinenda, & cū iis diligentissimè amplectenda. Nec persuaderi sibi hac ratione patiētur ingenui adolescētes, quò minus illi strenuam operam navare cogitent. Hinc enim intelligent, quæ

EPISTOLA

nam officia sibi maximè convenient, quomodo cum aliis & inter alios rectè vivere, & actiones suas tum domi, tum foris instituere debeant. Praesertim verò ii, qui altius ad Juridicam facultatem ascendere cupiunt, ex eadem totius Juris fundamenta brevissimè percipient. Nūquam igitur absque illa quidquam laude dignum prestare efficerè que poterunt. Idem enim facturi essent, ac si quis aedificium nondū posito fundamento extruere vellet. Quemadmodum nemo unquam Medicus dogmaticus sive rationalis esse potest, qui non sit Physicus, velut Galenus loquitur, qui non sit Philosophus: Sic impossibile est quenquam in Jurisprudētia aliquid prestare, qui Ethicæ scientia destituatur. Quod verò ad compendiosiore[m] facilioremque eam cognoscend[is] rationem pertinet, illa ipsa, ut & alia artes, ad Logicæ præscriptum Methodicè informari & describi potest, ut omnia ejus præcepta cōveniant legibus κατὰ παντός, καθ' αὐτό, καὶ ὅλης πρώτου: Adeo que definitionibus tantum & distributionibus comprehendantur: iis solummodo, quæ verè ad eam artem pertinent, propositis, alienis omissis, omnibusq; suo ordine ritè collocatis.

DEDICATORIA.

tis. Ejusmodi enim descriptio ad majorem intelligentiam, & memoriam faciliorem optime conducet, & plures ad amorem Ethices alliciet & incitabit. Quamvis nihil etiam tam perspicue explicari & doceri possit, quin difficile videatur, studium & diligentiam non adhibētibus. Quod ipsum cum ante aliquot annos Marpurgi altius perpenderem, data mihi tum temporis occasione nonnullis discipulis prælegendi Ethicam Aristotelis: illis, quoad fieri posset, brevissimè doctrinam ejus propositurus, ea tantum tradidi, quæ omnium maximè ad rem ipsam facere viderentur: aliud si quid accedebat, præsertim verò prolixiores quas cõtinebat aliorum de summo bono disputationes, uberioremq; vitiorum singulorum explicationem omittens: imprimis autè ordinem, qui admodum erat transpositus, aliquoties immutās. Ethica scilicet primùm definienda, deinde distribuenda: Virtutis similiter definitio priore loco, distributio posteriore tradēda, & quod deesset, copiosius indicandum videbatur. Quandoquidem verò ubiq; Aristotelis verba secutus essem, nescio quid me demovebat, illam qualemcunque meam operam inscribere repeti-

EPISTOLA

tionem Ethicæ Aristoteleæ. Inter repetendum enim omninò licitum esse puto, autoris, cuius verborum seriem alioquin mutare nò decet, sententiã atq; mētẽ, in verso etiam ordine plenius interpretari. Hunc porrò laborẽ meũ cum scholarum quarundã præfecti nescio ex quibus rescivissent: petierunt jamdiu ut sibi suisq; discipulis eum communicare vellem. Aequa quidem petitio, & res laudabilis, commoditatem querere suorum discipulorũ: sed difficilior quàm cui ego satisfacere queam. Attamen amicis & bonis omnibus vel quocunq; modo gratificandũ esse ratus, facilimè passus fui mihi persuaderi, ut hæc quamvis minuta & exilia in publicũ proponere nò reformidare: si forsã reperirẽtur, quibus hæc mea studia utilia futura essent: Maximè propter juventutẽ nostrã Corbachianã, cui post auditas lectiones Physicas Ethicã quoq; conjungẽda videbatur. At qui mirabũtur puto plurimi, quid sit, qd ego repetitiones hæc Philosophicas sub V. G. nomine, quæ plurib; aliis districta est curis atq; negotiis, quàm ut his legẽdis vacare queat, edi voluerim. Sed causas illi cõsiderent, & facilius hanc rẽ judicabunt. Quid enim hoc mirũ, sub ejus persona
hone-

DEDICATORIA.

honestatis & justitiæ artem cõmendare, qui
illas ipsas in omnibus rebus rectè administrã-
dis studiosissimè scõctatur. Hæc igitur causa
fuit, Generose Comes, me vestram Generosit.
præciquè hujus libelli fautricem quasi visse,
q̃ qui doctrinam virtutum ex eo percepturi
essent, in V. G. vivum illarum exemplar, &
speculũ splendidũ habere ac intueri possint.
Deinde, q̃ qui literas & disciplinas inge-
nuas plurimi facit, is literatorum quoq; stu-
dia & scripta optimè omnium defendere &
tueri queat Quãti autem vestra Generosit.
artium liberaliũ scientiam faciat, & in quo
pretio habeat testis est in primis Lëgoviensũ
Schola, quã ad imitationẽ Generosissimorũ
majorum suorum haud exiguo subsidio atq;
stipẽdio indies fovere & alere cum maxima
juventutis literaria cõmoditate nõ desinit.
Ejusdem indicio est, quod G. V. eruditissimos
quosq; tãtũ in cõsiliis suis perpetuò adhibeat.
Taceo clementiam, benevolentiã & huma-
nitatem erga subditos, aliasq; virtutes pluri-
mas, quarũ impulsu, Generose Domine Co-
mes, te hujus doctrinæ judicẽ elegi. Huc acce-
dit, quòd ejusdem Scholæ Lëgoviensis Rector
Henricus Betulejus, vir omni doctrinarum

EPISTOLA

genere excultissimus, haud minima edendi
 hujus libelli causa extitit. Addidi autē huic
 Ethica dialogū Platonis de Virtute, propter
 similem materiam, quae in eo tractatur, ut-
 pote qui etiam unā cum Ethicis questioni-
 bus propter brevitatem vel in uno semestri
 spacio iuventuti Scholasticae proponi & pra-
 legi possit. Vestrā igitur Generos. quod super-
 est, humiliter etiam atque etiam rogo, ut hoc
 meum quaecumque scriptum clementi &
 benevolo animo pro sua laudatissima rem-
 literariam promovendi promptitudine susci-
 pere, tueri, ab aliorumq; injuriis defendere
 dignetur. Quod si impetra vero, aliquando
 longe majora sub V. G. nomine divulgare
 conabor. DEUS Optimus Maximus, om-
 nium virtutum autor, vestram Generos. Rei-
 publicae tum Scholasticae tum politicae incolumem
 diutissimè conservet, & tueatur.

V. G.

Obsequentiss.

alumnus


Gulielmus Adolphus

Scribonius Marpurg.

AD



AD CLARSSIMUM
VIRVM DOMINVM
GULIELMUM, ADOLPHUM
SCRIBONIUM, PHILO-
sophiæ & Medicinæ Docto-
rem, Epigramma.



*N*ATURAE facies multum inquisita,
benigno
Se tibi, SCRIBONI, pandit aperta
sinu:

*Pandit, & ad Logicas constringitur integra leges,
Non rerum in parvo est copia parva libro.
Si quid a lens pressis tegit abdita terra cavernis,
Prodit, pars mundi cetera si quid habet.
Innumeris (Physici veniam date) præripis unus
Palmam, perpetuus quam comitatur bonos.
Nec tamen his studiis, curisq; inclusus acerbis
Iam deses metæ ducis adesse pedes.
Optima Musarum decerpere pergis in horto,
Vnde puer capiti ferta decora paret.
Ethica quid virtus, signas; quo limite ducta
Fœdetur, fœda quo careátve lue.*

*Vtile Aristotelis quodcunq̄, volumina spargunt,
Arctando hinc logica regula justa fovet.
Futile Aristoteles si forte quid ingerit author,
Mordendo hinc Logica regula justa necat.
Non sua Aristotelem laus deseret, & tua nullo,
SCRIBONI, laus est emoritura die.
Vive DEO, & Musis igitur, nec subtrahere luci,
Has bene quo poteris cunq̄, juvare modo.*

Martinus Hopingk Lemgovia³. N^o
nas Octobris, Anno 1583.



PHILOSOPHIAE
ETHICAE REPETI-
TIONIS

Liber primus.

CAPVT. I.

Quid est Ethica?



ETHICA est virtutum scientia.

Vnde dicitur hac scientia?

παρὰ τῶν ἠθῶν, à moribus, quòd mo-
res probatos, hoc est, omnis generis virtutes
doceat.

Quis finis est hujus disciplinae?

Virtuti congruenter, id est, bene beateque
vivere, & ita summum bonum seu finem homi-
nis adipisci.

*Status igitur extremum ejusmodi bonum esse, in
quo natura hominis acquiescat?*

Omninò.

Quibus argumentis hoc demonstras?

Omnis ars, omnis doctrina, omnis actio,
omneque studium ad bonum aliquod refertur:
Ergo etiam summum aliquod fuerit bonum,
in quo tota hominum natura tandem acquies-
cat, Secus enim omnia studia, omnesque actio-
nes eorum irritae & inutiles erunt.

Quomodo desinit summum illud bonum?

Summum bonum est, quod per se ab omnibus
expetitur, vulgò *ὀυδαιμονία* vel *ὀυπραξία*: latinis

etiam felicitas dicitur.

*Ergone tractatio Ethicæ confert ad bene de-
gendam vitam?*

Maximè. Quemadmodum enim sagittarii ad scopum collinant & jacula sua dirigunt: Sic nos omnes nostras actiones, conatus & studia eo referre debemus, ut benè beateque vivamus.

CAP. II.

De auditoribus Ethicæ.

Nūm igitur juvenes etiam, qui nondum bene vivere norunt, hujus discipline auditores esse possunt?

Aristoteles hoc ipsum negat.

Quomodo id ostendit?

Quam quisque novit artem, de ea rectissime judicare, eamque tatum intelligere potest: Puer sive juvenis morum probitatem nondum novit: quia usu rerum & scientia non valet: De doctrina igitur eorum judicare nequit.

Qualem verò Aristoteles, simplicitérne ætate puerum intelligit?

Eum, opinor, intelligit, qui animi perturbationes sive affectus in omnibus vitæ actionibus sequitur: sive enim ætate puer sit, sive moribus, nihil refert.

CAP. III.

Juvenes etiam cum fructu Ethicæ audire posse.

Vtrum

ETHICAE LIB. I.

*Vtrum igitur rectè, ii qui usu rerum non valent, of-
ficioꝝq; expertes sunt, à philosophia
moralì arcentur?*

Nequaquam. Idcirco enim majori diligen-
tia Ethicè illi audire debent, ut mores suos re-
gere, & affectus rectæ rationis dictamini subji-
cere discant.

*Quis ergo commodè hanc doctrinam au-
diturus est?*

Qui si non bene moratus sit, de moribus ta-
men præcipienti obtemperat. Si verò quis neu-
trum præstet, is testante Hesiodo inutilis au-
ditor futurus est.

*Optimus est, sese qui novit cuncta Magistro,
Prudenterq; capit, quæ semper sunt meliora:
Ille etiam bonus est, qui in cunctis recta monètem
Audit, & inventis ponit vestigia letus,
Ast cui consilium, sua nec prudentia donat,
Inducitq; animum voces contemnere veras,
Ille quidem invisus divis & inutilis orbi est.*

CAP. IIII.

De fine Ethicæ à veteribus posito.

Quidnam queso veteres de fine Ethicæ præceperunt?

Variæ fuerunt veterum de illo sententiæ. Alii
siquidem posuerunt summum bonum in volu-
ptate: alii in divitiis: alii in honore: alii aliis in re-
bus. Vnde M. Varro in lib. de philosophia, 288.
ait esse opiniones de finibus bonorum & malo-
rum: quarum tamen pleræque falsæ sunt.

B

4
GUL: SCRIBONII
*Ecquæ igitur sententia ex his potissimum
approbanda?*

Eas quas recensui universas, quia probabili-
iores sunt, & aliqua videntur niti ratione, præ-
ceteri Aristoteles examinans certis argumen-
tis refellit.

CAP. V.

De erroneo Ethicæ fine.

*Qua ratione arguis, summum bonum
non rectè poni in vo-
luptate?*

Nihil quod nobis commune est cum brutis
animantibus, extremus humanarum actionum
finis dici potest: Atqui voluptas est nobis cum
illis communis: Ergo nõ potest dici summum
bonum.

An honor igitur summum bonum?

Minimè. Illud enim non est extra nos, & dif-
ficulter nobis eripi potest: Honor autem ex-
tra nos est. Videtur enim in honoratis potius
quàm in honorantibus consistere: Honori
itaque summum bonum vel finis hominum
non est.

*Quare autem in virtute finem ho-
minis esse negas.*

Summum bonum, ait Aristoteles, non po-
test esse in otiosis: Virtus potest esse in otiosis,
ut in dormientibus. In ea igitur summum bo-
num statui omnino nequit. Item: Quicquid
conjunctum est cum maximis miseriis atque
malis,

malis, non potest dici summum bonum: Virtus non raro maximis periculis est conjuncta: Non igitur summum bonum.

Forsan ergo in divitiis hominis finem collocabis?

Multo minus. Quicquid enim propter aliud & non per se expetitur, non potest extremus hominum finis appellari: Divitiæ non per se, sed ob vitam nostram splendide alendam expetuntur: Ergo &c.

CAP. VI.

Finem hominis non esse Platoniam bonorum Ideam.

Nihilne Plato differit de extremo hominis fine?

Plato constituit summum bonum esse universalem quandam ideam boni, mente tantum perceptibilem, quæ sit perfectissima virtutum cognitio, & in qua sit firma animi virtutem amplectendis assensio, ut nihil omnino in ea desiderari possit. Sed hæc sententia minus probatur Aristoteli.

Quid igitur absurdi in illa sententia?

Re ipsa quidem nihil est in Platonis dicto absurdi. Enimvero videns ipse hominum infirmitatem: requirit perfectam boni notitiam. Aristoteles vero ob naturæ quàm opinabatur integritatem, non plus requirit, quàm ipsa præstare possit. Non multum igitur dissident.

Cur verò reprehenditur Plato?

Aristoteles tantum improprie & confuse dicta in illo reprehendit.

Quenam sunt illa?

Plato saepe dicit, nec virtutem, nec voluptatem esse finem hominis, sed ideam boni, quae illas ceu species sub se comprehendat: cum tamen non possit una idea diuersarum specierum constitui, ut equi & leonis, &c. Praeterea Plato ideas aeternas asserit, nec esse singularium, sed abstractas imagines. Verum Aristoteles imaginis ejusmodi universalis cognitionem parum prodesse ostendit: quia agens versatur circa singularia.

Quibus argumentis id ostendit Aristoteles?

1. Summum bonum, inquit, ab hominibus non monstris mediocri conatu acquiritur: Idea illa nullo modo acquiri potest: Non igitur summum bonum est.

2. Deinde in quibus prius est & posterius, in iis non est communis aliqua idea: In bono est prius & posterius: In eo igitur idea dari nequit. Assumptum probatur, quia bonum in diversis est praedicamentis: Substantia enim semper prior est accidentibus.

3. Tertio. Quorumcunque una est idea, eorundem una scientia est: Bonorum non est una scientia: Ipsorum igitur non est una idea.

C A P. V I I.

De vero hominis fine.

Quis igitur tandem est ultimus finis hominum?

Actio

Actio virtutis: & quidem in vita undique perfecta.

Quomodo hoc docere potes?

Propria actio cujuslibet naturæ, est ejus finis: Actio virtutis est hominum propria: Ergo hæc quoque illorum finis est.

Cur additur, In vita perfecta?

Quia in quibusdam inchoatæ virtutes ob sequentium flagitiorum fœditatem turpissimè deformantur. Ut autem sit firma virtus, assuefactione & ætate opus est.

CAP. VIII.

De consensu Aristotelis & aliorum in definiendo summo bono.

Statuis igitur Aristotelem in definitione summi boni planè ab aliis dissentire?

Non quidem omnino dissentit.

Quí quæso cum iis convenit, qui in virtute summum bonum posuerunt?

Quia ipse actionem virtuti congruentem, non nudam virtutem summum bonum esse definivit.

Sed quomodo cum illis, qui in voluptate extremum finem ponunt?

Quia vir bonus non potest non maximam voluptatè ex honestis actionibus capere: ideoque voluptas nequaquam à summo bono excludenda fuerit.

Plenius hoc demonstra.

Qua quisque re plurimum delectatur, ex ea

8 GUL. SCRIBONII
magnam capit voluptatem: Virtutum studiosus honestis & præclaris actionibus plurimum delectatur: Ergo ex iis magnam capit voluptatem.

Quomodo autem cum iis consentit, qui in bonis externis bonum hominis constituerunt?

Quoniam is qui velit esse beatus extremorum bonorum adminiculo indiget. Vix enim aut ne vix quidem res magnas ac præclaras gerere potest, cui nullæ opes nullæque divitiæ suppetunt.

C A P. I X.

De modo consequendæ felicitatis.
Vnde autem homines assequuntur illam felicitatem, divinitusne an sua diligentia?

Aristoteles definit primam & præcipuam felicitatis causam esse Deum omnium bonorum fontem: secundariam verò & inferiorem causam ait esse doctrinam & consuetudinem sive exercitationem hominis.

Annon à forma quoque vel casu felicitas dependet?

1. Nequaquam. Optimum enim & perfectissimum, non est fortuitum: Beatitudo autem optimum & perfectissimum bonum est: Non igitur fortuito contingit.

2. Item. Felicitas ex honestis & præclaris actionibus oritur: Igitur fortuna ejus causa dici nequit.

3. Ter.

ETHICAE LIB. I.

3. Tercio. Quod maximè firmum est ac stabile, non est in fortunæ arbitrio situm: Felicitas maximè stabilis, adeoque æterna est: Non igitur fortuita.

Atqui impediunt tamen felicitatem hominis & evertunt res adverse.

Res adversæ, si majores sint, vitam quidem illæ beatam labefactant, sed non evertunt. Itaque vir bonus in quamcunque fortunam inciderit, non mutat animum. Eodem modo, quo Tetragenus, qui in quamcunque partem volvitur, semper sibi similis est.

Quid verò de rebus secundis sentiendum?

Eæ felicitatem ornant, & vitam beatiorē faciunt.

Sed unde probas felicitatem humana diligentia comparari?

Felicitas est bonū *καλὸν κοινόν*, quod omnes sani assequuntur: Ergo necesse est, ejus causam esse ipsorum hominum diligentiam & exercitationem.

Ergo pueri, in quibus ejusmodi diligentia esse nequit, non poterunt rectè appellari felices?

Non sanè: quia opus est ei, qui felix esse cupit, & virtute consummata, & vita perfectæ: quorum neutrum in puero esse per ætatem licet.

CAP. X.

Homines ante obitum felices dici posse.
Si hominum studio comparatur felicitas, cur igitur

*Solon statuit neminem ante obitum dici
posse felicem?*

Solon propter vitæ incertos casus neminem
in his terris consequi laudem felicitatis arbitra-
tur. Similiter Ovidius ait:

————— *Ultima semper
Expectanda dies homini: diciq; beatus*

*Ante obitum nemo supremaq; funera debet.
Verùm hæc sententia minus probatur.*

*Quomodo ergo ostendis ante mortem homines
nominari posse beatos?*

Qui secundum virtutes operatur, beatus di-
citur in hac vita, & non post mortem opera-
mur secundum virtutes: Igitur in vita quoque
beati rectè appellamur, & non post mortem.

Quinam itaq; rectè dicuntur beati?

Qui in exercendis virtutibus ad extremum
vitæ spiritum perseverant.

C A P. X I.

*Anne res etiam posterorum ad defunctorum
beatitudinem aliquid faciunt?*

Ita opinatur Aristoteles.

Qua ratione hoc arguit?

A contrario. Nempe quod ab officio amici a-
lienum est, felici non est tribuendum: Atqui di-
cere, Sua nihil referre, quid posteris accidat, ab
officio amici alienum est: Nec igitur felici
conuenit: & per consequens res
posterorum ad felicem
pertinent.

LIBER

ETHICAE LIB. II. II
LIBER SECVNDVS.

Argumentum hujus libri.

Cum in primo libro docuisset Aristoteles, summum bonum seu finem hominis esse actionem virtutis: In secundo deinceps investigat, quid sit virtus, qui sint fontes, unde oriatur, & quot sint ejus differentia.

CAP. I.

De Virtute.

Quomodo definitur virtus?

VIRTUS est habitus rectæ rationi consentaneus: Habitus nimirum, ut Aristotelis verba sonant, qui regitur recta notitia, ut mediocritatem in actionib. efficiat.

Quare definitur habitus?

Quia in virtutis studio non solum requiritur, ut sciens ac volens, sive ultrò, sed etiam ut *καθ' ἑαυτὴν* à firmo & stabili animo semper secundum virtutes operetur.

Qualis verò dicitur habitus?

Definitur habitus electivus in mediocritate consistens, quæ est erga nos, & ratione sic definita, ut vir prudens præscripserit.

Cur requiritur prudentis præscriptum?

Quia oportet aliquem ducem designari, qui mediocritatem ostendat in tanta varietate circumstantiarum. Ut enim in controversiis forensibus, cum homines imperiti sibi iudicium sumunt, sæpè falluntur. Ita in cæteris actionibus quoque sæpius aberrant.

Virtutem esse habitum.

*Omninóne igitur concludis virtutem
esse habitum?*

Ita sanè. Nec enim potentia est, nec affectus:
nec alia insunt anime. Reliquum itaque fuerit,
vt eam habitum esse cum Aristotele dica-
mus.

*Verum quidem est: sed qua ratione arguis, vir-
tutes non esse affectus?*

Ex affectib. & perturbationib. nec probi nec
improbi nominamur: Ex virtutib. autem & vi-
tiis boni & mali dicimur: Ergo virtutes non
sunt leves perturbationes & affectus.

*Quomodo autem demonstras virtutes non
esse δύναμεις vel potentias?*

Potentiaë sive facultates nobis insunt à natu-
ra: Virtutes non insunt nobis à natura: Ergo
non sunt potentiaë seu facultates.

CAP. III.

Virtutem consistere in mediocritate.

*Quare virtutis actiones in mediocri-
tate constituuntur?*

Quia omnes immoderatę actiones in utram-
que partem nocent naturis. Eadem autem ra-
tio est in virtutibus. Qui enim fugit pericula
omnia, is timidus & ignavus evadit: qui nul-
lum omnino timet, is audax habetur.

Quam intelligis mediocritatem?

Eam quę sumitur secūdam proportionem
Geometri-

ETHICAE LIB. III.

Geometricam, quæ Aristoteli dicitur *μεσότης*
ἀπὸς ἡμῶν.

Cur ea potissimum mediocritas in virtutibus locum obtinet?

Quia circumstantiæ mirum in modum variant & mutant mediocritatem. Idcirco necessarium est, ut prius collatio fiat aliarum rerum & personarum, & inquisita proportionum qualitate inter res & personas medium constituatur.

CAP. IIII.

De virtutum generibus.

Virtutes quotuplices sunt?

Virtutes aliæ sunt intellectuæ: aliæ morales.

Morales virtutes quanam sunt?

Quæ versantur in regendis actionibus maxime externis animæ tum irascentis, tum concupiscentis.

Quomodo subdividuntur?

In simplices & conjunctas.

Simplices quæ sunt?

Quæ sigillatim absque aliis exerceri, & per se comparari possunt.

Simplicibus conjuncta virtus quæ est?

Quæ illas sub se complectitur, iisque ita coheret, ut non possit sine iis sola exerceri.

Morales virtutes unde oriuntur?

Comparantur eæ ex more & consuetudine: unde & nomen traxerunt.

Intellectiva autem virtutes unde proficiuntur?

A doctrina ut plurimum originem trahunt
& accessionem habent: idcirco etiam temporis
& exercitationis indigent.

Cur dicis, Ut plurimum?

Eo quod sola doctrina tantam vim non ha-
bet, ut hominem natura stolidum & ineptum
reddere sapientem possit. Itaque etiam natura
& ingenio felici opus est.

CAP. V.

Virtutes nullas esse naturales.

*Nulla igitur ex his à natura nobis in-
generantur?*

Nullæ omnino.

Quibus rationibus id probas?

I.

A contrario. Nihil scilicet quod insitum est
& innatum aliter atque ipsius natura fert, assue-
facere potest, ut exemplo lapidis in sublime
projecti probatur: In virtutibus plurimum va-
let assuefactio: Ergo non insunt nobis à natura
insitæ.

II.

Deinde in bene constitutis rebus publicis
nomothetæ leges ferunt, quibus præmia bonis
viris decernuntur, improbis verò pœnæ. Sequi-
tur ergo, assuefactione, itemque exercitio & vo-
luntate hominum potius virtutes comparari,
quàm à natura ingenerari.

Consequentiam illam plenius comprobcs?

Quia nisi nostra industria & diligentia ac-
quiri possent virtutes: certè leges omnes inu-
tiliter

tiliter proponerentur, quibus boni ad res præclaras excitantur.

Ergone contra naturam nobis virtutes insunt?

Nequaquam. Nati enim factique sumus ad percipiendas eas natura, & efficiendas consuetudine, hoc est, Igniculi virtutum nobis insiti sunt, qui tandem usu & exercitatione excoluntur plenius & perficiuntur.

CAP. VI.

Normam & causam virtutis esse rectam rationem.

Quanam igitur tandem præcipua est causa virtutum civilium?

Recta ratio.

Quid hac appellatione ulterius intelligitur?

Mens judicans, & voluntas illi obtemperans.

Quales igitur debent esse actiones, quibus perveniatur ad virtutes?

Necesse est eas congruere ad rectam rationem: id quod fit, si certa quadam moderatione ab extremis recedant.

CAP. VII.

De objectis virtutum.

Quanam sunt virtutum omnium objecta?

Voluptas & dolores. Nam circa hæc moderanda versantur virtutes.

Quomodo id probas?

Si omnis habitus versatur circa illa ex quibus generatur aut corrumpitur, objecta erunt

virtutum voluptas & dolor: Atqui prius: Igitur & posterius.

Vnde illud consequitur?

Quia voluptatum blandimentis ad ea gerenda quæ prava sunt impellimur, & dolorum cum admoventur faces à rectè factis deducimur. Quamobrem hi duo affectus faciunt, ut vel consequamur vel amittamus etiam habitum Virtutis.

Potésne idem alio etiam argumento docere?

Quidni? Virtus versatur circa difficilia, juxta proverbium: *δύσκολα τὰ καλὰ*: Nihil autem difficilius quàm obsistere voluptatibus & doloribus, ut testatur Heraclitus: Ergo in iis occupatur virtus.

C A P. V I I I.

Quomodo & unde quis laudem virtutis promereatur.

Suntne ii dicendi virtutibus pradii, qui res agunt virtuti congruentes: justi nimirum aut temperantes, qui res justas vel moderatas agunt?

Minimè: sed res justas aut moderatas agendo illas ipsas virtutes consequimur.
Sed qua ratione quis justas actiones ediderit qui nondum factus est justus? nemo enim nisi ante sit grammaticus latinè loquitur.

Quemadmodum nemo Grammaticus dicitur, nisi qui ex artis habitu, què longo usu comparari

parari necesse est, latinè loquitur: Sic nemo justus aut temperans dicitur, aut alia virtute exornatus, nisi *ἄξιον* sibi crebris actionibus acquisiverit.

CAP. IX.

De virtutum & vitiorum oppositione.

*Repugnántne extrema affectiones
ipsis virtutibus?*

Omninò. Quin & ipsæ inter se contrariæ sunt.

*Vtra verò repugnantia major est, virtutisne cum
extremis vitiosis, an extremorum
inter sese?*

Major extremorum videtur inter se, quam cum virtutibus repugnantia & dissimilitudo. Quandoquidem longius abest alterum ab altero, quàm utrunque à medio.

LIBER TERTIVS.

Argumentum libri Tertii.

Docuit in precedentibus Aristoteles virtutis actionem à voluntate hominis ejusq̄ studio provenire: in sequenti igitur libro copiosius persequitur actiones voluntarias & involuntarias, ut eò plenius virtutis principium & causas demonstraret. Ac deinde ad specialem virtutum singularum explicationē progreditur.

CAP. I.

De actionibus voluntariis.

Vt plenius intelligatur actionem virtutis esse voluntariam, ostende quæ actiones sint voluntariæ?

In quibus concurrunt consilium & libera voluntas. Aliæ enim quæ vi aut imprudentia fiunt, sunt involuntariæ.

Quomodo autem appellantur actiones quæ metu malorum aut honesti causa fiunt?

Aristoteles definit hujusmodi actiones esse mixtas, sed voluntariis similiores.

Cur verò voluntariis potissimum subjiciuntur?

Quoniam quicquid iudicio geritur, & in nostro arbitrio & potestate situm est, voluntariū dici debet: Actiones quæ fiunt metu malorum, animi iudicio fiunt, & in nostro arbitrio positæ sunt: Ergo voluntariæ.

Exemplo aliquo plenius id ipsum declara.

Si quis juret, ut vitam redimat, se daturum latroni mille aureos: quanquam fecit hoc terrore coactus, revera tamen ex libera voluntate promisit, quia elegit minus damnum ut vitam redimeret, ideoque dicenda est actio voluntaria.

Cur igitur ejusmodi actiones non simpliciter dicuntur voluntariæ?

Quia nemo quicquam eorum per se expetit aut eligit, sed pro ratione temporis, cui sæpè serviendum est.

C A P. II.

De actionibus imprudentiæ & ignorantia.

Ed

Ea autem quæ per imprudentiam fiunt, suntne omnia pro invitis habenda?

Nequaquã. Nisi enim quis, posteaquam resciverit se per imprudentiam peccasse, de facto suo doleat & pœnitentia ducatur, non rectè dicetur invitus fecisse, cum minus ægrè ferat. Si verò quem facti sui pœniteat, is se nolentem & invitum deliquisse testatur.

Quo exemplo hoc ostendis?

Adolescens quidam cum per ignorantiam petiisset lapide novercam, quem in canem latrantem projecturus erat, nihil tristatus fuit, dicens: ne sic quidem malè. Quamvis igitur ille non sponte fecit quod ignoravit, attamen cum delectatus fuerit hoc facto, nequaquam invitus hoc ipsum dicitur commisisse.

Ergo non omnis ignorantia delictum excusat?

Minimè. Quod si enim crassa fuerit & affectata, nullo modo veniam meretur: ut si quis nolit ea inquirere, quæ necessum est cognosci, & de jure & de facto: unde regula illa: Ignorantia facti excusat, non juris.

Sempèrne ignorantia facti excusat?

Si quis nesciat ea quæ non pertinet ad suum officium, vel quæ non necessario interroganda sunt, excusatur: qualis fuit ignorantia eorum, qui inscii vescebantur idolothytis. Quod si verò aliquis sibi causa fuerit ignorantia, is nullo modo venia dignus judicandus est, ut omnis ebriosus.

*Cur autem qui ignorantiam juris pratexunt
venia digni non judicantur?*

Quia omnes homines jus & divinum & naturale debent novisse. Idcirco Ethnici minimè excusandi sunt, quòd Deorum multitudinem finxerint. Similiter nec Papistarum errores plurimi excusandi sunt.

*Sed quæ per iram aut cupiditatem fiunt,
suntne illa voluntaria?*

Sunt omninò. Si enim à nobis invitis fierent, molestiam adferrent, & dolorem: Sed hoc non fit: Igitur nec illud. Assumptum patet, quia quæ ira fiunt plerunque oblectationem habent.

CAP. III.

De iis quæ in deliberationem cadunt.

Quid est Electio?

Est appetitio eorum quæ in nostra sunt potestate cum antecedente deliberatione. Sic Constantinus re deliberata bellum affini & confœderato Licinio intulit, eò quod exerceret sævitiam in Christianos. Ioseph præcedente deliberatione ab uxore domini sui.

Quæ igitur res cadunt in deliberationem?

Eæ tantum quæ in nostra sunt potestate, ut eveniant: ubi excluduntur æternæ, item necessariae, naturales & fortuitæ.

Consultandumne etiam de artibus

& scientiis?

Si certæ omnino sint, frustra de iis consilium capitur.

capitur, quales sunt litteræ. Sed quæ minus perfectæ sunt, & in dubium aliquando veniunt, eæ cadunt in deliberationem.

Ecquid & finis in deliberationem cadit?

Non sanè, sed ea quæ ad finem spectant. Sic Medicus non consultat an curet, nec Orator an persuasurus sit.

CAP. IIII.

De Fortitudine.

Adhuc generalia fuerunt de virtutibus earumque actione voluntaria: deinceps igitur ut ad species progrediamur, dic quamam sunt simplicium virtutum moralium genera?

Duo: aut enim elucet in actionibus animæ irascentis, ut in regendis affectibus: aut animæ concupiscentis, ut in refrenandis cupiditatibus.

Illarum princeps est fortitudo: harum verò temperantia.

Quid est fortitudo.

Fortitudo est virtus in rebus terribilibus animosos nos reddens.

Cicero Off. 3. Fortitudo est virtus dolorum, laborumque contemptrix.

Quodnam est subjectum fortitudinis?

Versatur circa res arduas atque terribiles, ut nulli neque animæ perturbationi neque fortunæ succumbamus.

Ergo fortis quoque habendus, qui se imperterritus

*præstat in perferenda paupertate, morbo, &
aliis pertimescendis?*

Similitudine quadam & improprie potius
quàm verè fortis dici potest.

*Circa quas igitur res terribiles versa-
tur fortitudo?*

Circa mortem, qua nihil terribilius, nihil-
què acerbius est.

*In omnine genere mortis hæc virtus
cernitur?*

Nequaquam, sed tantùm in pulcherrimo:
qualis est ea mors quæ pro patriæ salute in bel-
lis appetitur.

Quæ sunt extrema fortitudinis?

Audacia, & timiditas seu ignavia: horum
enim mediocritas est fortitudo.

C A P. V.

De vero fortitudinis fine.

Quis finis hujus fortitudinis?

Honestatis causa nulla non adire pericula:
quo sensu Stoici etiam teste Cicerone eam de-
finierunt virtutem propugnantem pro æqui-
tate.

*Ergo fortes non erunt, qui sibi ipsis mortem,
vel ob inopiam, vel amorem, vel mole-
stiam consciscunt?*

Minimè. Quoniam enim non honestatis, sed
vitandi mali gratia, quod animo magno per-
ferre nequeunt, sibi manus violentas inferunt,
molles potius & timidi appellandi sunt, quàm
fortes.

An

*An vulgares etiam milites dicendi sunt
fortes?*

Non sunt. Nam pro exigua mercede vitam suam exponunt venalem: at vir fortis non nisi honestatis causa mortem subit.

*Fortitudóne aliqua elucet in his qui ira aut dolore
impulsi pericula adeunt?*

Nequaquam. Quia si verè fortes essent, qui ira commoventur, vel alia perturbatione ducuntur, animantes quoque brutè fortes appellari possent: Sed consequens absurdum: Igitur & antecedens.

CAP. VI.

De Temperantia.

Quid definit Temperantiam?

Definitur ab Aristotele virtus in cibo & potu mediocritatem observans. Sed generalius definitur, virtus in actionibus animæ concupiscentis elucens. Actiones intellige nutrientis & generantis facultatis: utpote in cibo, potu, Venere, & quæ iis inserviunt.

*Quódnam igitur principale subiectum est
hujus virtutis?*

Voluptas sive cupiditas.

Circa omnesne voluptates versatur?

In voluptatibus maximè corporis cernitur, & iis quorum reliquæ animantes sunt participes. Sed his addi etiam rerum externarum cupiditates commodè poterunt.

¶ Plato in Charmide: Magnopere nobis conducet, si temperantes essemus. Nam sine pec-

24 GUL: SCRIBONII
tato viveremus, etc. Item: Qui hanc habet, quic
quid aliud discet, facilius discet, & omnia ipsi
evidentiora apparebunt.

CAP. VII.

De extremis Temperantiæ.

*Quenam præcipuè repugnant
Temperantiæ?*

Ακολασία, Intemperantia, & *ἀναιδυσία*, Stu-
peditas.

Intemperantia quid est?

Est actio temperantiæ omnibus modis con-
traria: Græcis dicta à puerilibus erroribus at-
que delictis.

*Quanam igitur similitudo Intemperantiæ
& lasciviæ puerili commune no-
men dedit?*

Vt puer, nisi à pædagogo coerceatur & in
officio suo retineatur, exultat, luxuriat, cupi-
ditatemque suam explere pergens nihil non
mali peragit; similiter cupiditates appetitiones
ve, nisi à ratione domentur ac reprimantur,
longius evagantes mentem ipsam disturbant.

CAP. VIII.

Intemperantiam ignavia deterio-
rem esse.

*Vter delinquit magis, intemperansne an
stupidus, qui nimium sectatur
temperantiam?*

Intem-

Intemperans: Is enim quod sua voluntate omnia suscipiat & agat, majore reprehensione dignus est.

Quomodo hoc ostendis?

Magis voluntaria sunt quæ sponte per se & sine coactione aliqua eliguntur: Voluptates sine ulla coactione se nobis offerunt: Stupor vero nolentes sæpè obruit: Ergo intemperans deterior stupido.

LIBER QVARTVS

Repetitionis Ethicorum.

Argumentum libri quarti.

Cum sub finem præcedentis libri summa genera virtutum moralium, nempe Fortitudinem & temperantiam proposuisset: nunc deinceps in libro quarto singulas illorum generum species plenius, quamvis non admodum distincto ordine persequitur.

CAP. I.

De Liberalitate.

Quenam virtutum moralium sunt species?

Virtutes signat tibi dictio ἀρετῶν ἀσμεμοναίφανδ: Singulis literis singularum græcam appellationem exordientibus: Sunt enim præter summa genera undecim earum species.

ἀνδρεία

Fortitudo.

σοφροσύνη

Temperantia.

ἐλευθερία

Liberalitas

C. 4

μεγαλοπρέπεια	Magnificentia.
μεγαλοψυχία	Magnanimitas,
ὀρεξαις ἢ τιμῆς	Honoris justa cupiditas.
πραότης	Mansuetudo.
ἀλήθεια	Veritas.
ὀυρατελία	Urbanitas.
φιλία	Amicitia.
αἰδώς	Verecundia.
ὕμεις ἢ δίκης	Distributio honorum.
δικαιοσύνη	Iustitia.

Quenam ex his ad fortitudinem, que ad temperantiam referri possunt?

Temperantiæ species sunt, Liberalitas, Magnificentia, Honoris justa cupiditas, Urbanitas. Fortitudini verò subjici possunt, Magnanimitas, Mansuetudo, Verecundia. Vtriusque communes sunt, Iustitia & Amicitia. De illa autem agitur in lib. 5. de hac verò in lib. 8. & 9.

Quid igitur est Liberalitas?

Liberalitas est virtus in dandis accipiendisque pecuniis consistens.

Quid intelligis nomine pecuniarum?

Omnes res quarum æstimatio ponderatur numis.

Vtrum autem in dando potius an verò accipiendo consistit liberalitas?

Liberalitas magis in largitione, quàm accptione versatur.

Quid est, cur ita putes?

Quia virtutis proprium magis est beneficia in alios conferre, quàm ab aliis accipere: Ergo libera-

liberalis quoque est, dare potius quibus dandum est, quàm accipere. Præterea gratia & laus, multò magis dantem, quàm accipientem prosequitur: Major igitur in largitione laus liberalitatis.

Ecquid liberalis beneficia interdum accipiet?

Accipiet unde æquum erit, ut ad largiendum suppetant copiæ.

Passimne omnibus largietur liberalis?

Nequaquam: sed dabit ac largietur honestatis causa, quibus & quantum, & quando dandum erit: ut præter Aristotelem Cicero in Offic. eleganter docet.

Quantum verò aliis est largiendum?

Pro ratione facultatum. Quamobrem etiam nihil prohibet liberalem esse & vocari eum, qui minora confert beneficia. Hanc ob causam in sacris litteris, à Christo Lucae 21. commendatur magis egena vidua, quàm omnes Scribæ & Pharisei, qui ampliora dedissent munera.

Quis igitur verè liberalis?

Qui pro facultatibus in eas res, quæ præclaræ & honestæ sunt, pecunias profundit.

Quenam huic virtuti imprimis repugnant?

Avaritia & prodigalitas.

Qui dicuntur avari?

Qui nimio pecuniarum studio tenentur, Græcis, φιλοχρήματοι, φίδωλοι id est, parci & valde tenaces.

Suntne avari quoque putandi lenones, sceneratores, aleatores, fures & latrones, si equo plura appetant?

Omnino: quia opes suas augere conantur repugnante ratione & idcirco in sordido quaestu sunt occupati.

Anne Tyranni etiam, qui civitates oppugnant & diripiunt, avari sunt habendi?

Nequaquam: sed scelesti potius, impii & iniqui.

Prodigalitatem quomodo definitis?

Ea definitur excessus in effundendis pecuniis, Græcè ἀσωτία ab ἀσωτός: hic enim, dicitur prodigus, quod salutem suam negligens ipse per se pereat. Nam facultatibus insumptis, vitam suam amplius sustentare nequit.

Vter melior est, avarusne an prodigus?

Prodigus certè minus quàm avarus culpabilis est.

Qua ratione hoc ostendis?

Prodigus omnibus prodest: avarus autem ne sibi ipsi quidem. Tam enim ipsi deest quod habet, quàm quod non habet: prodigus igitur antefendus avaro. Ad hæc prodigus facilè ad sanitatem potest reduci, progressu ætatis & inopia coactus: Avaritia autem malum insatiabile: Prodigus itaque avaro melior.

CAP. II.

De Magnificencia.

Qualis virtus est Magnificencia?

Est

Est virtus in sumptuum magnitudine decorum observans.

Ergone idem hujus est quod liberalitatis subjectum?

Rectè: Vtraque enim in pecuniis cernitur.

Quomodo igitur hæc virtus differt à liberalitate?

Ratione duntaxat majoris & minoris: Liberalitas enim in exiguis: magnificentia autem in magnis sumptibus potissimum exercetur.

Potestne pauper etiam esse magnificus?

Si sumptuum magnitudo spectetur, non poterit, quoniã nihil ei suppetit unde sumptus queat splendide sustinere: Nisi simul animus ejus magnificus, & mentis excellètia consideretur.

Quanam fugienda sunt magnifico viro?

Ne in rebus parvi momenti magnos sumptus adhibeat, splendoremque ineptè ostendet. Deinde, ne cum magnos sumptus sustinuerit, in exiguo decorum omne pervertat, & se splendidius omnia quàm deceat facere arbitretur. Quamvis ejusmodi habitus, quod minus proximis noceant, non tantoperè sint reprehendendi.

CAP. III.

De Urbanitate.

Quid est Comitas sive Urbanitas?

Est in salibus jocisque liberalibus atque eruditum dicendis tum audiendis temperantia, sive modesta dexteritas.

¶ Huc facit illud Ciceronis, ludo, inquietis, & joco, uti illo quidem licet, sed sicuti somno, & quietibus cæteris, tum cum gravibus re-

30 GUL. SCRIBONII
bus satisfecerimus, ipsumque genus jocandi
ingenuum & facetum esse debet.

Quae sunt extremitates urbanitatis?

Excessus est scurrilitas, defectus autem rusti-
citas, & animi durties.

Scurrae quinam dicuntur?

Qui indiscretè omnia obscœniora penitus
affectant: ut potius risum movere quàm hone-
stè loqui studeant.

¶ Quorum jocandi genus, inquit Cicero, il-
liberale, petulàs, flagitiosum & obscœnum est.
Rerũque turpitudini adhibetur verborum ob-
scœnitas.

Quinam agrestes seu duri nominantur?

Qui neque ipsi quicquam jucundi dicunt,
neque alios dicentes æquo animo sustinent,
sed jucundas confabulationes omnes perhor-
rescunt.

CAP. IIII.

De Magnanimitate, sive animi magnitudine.

*Magnanimitas aut animi celsitudo qualis
est virtus?*

Est rerum magnarum, quibus quis dignus
sit, sibi contribuendarum expetitio.

*Estne etiam magnanimus, qui exiguos quos meritis
est honores sibi tribuendos censet?*

Modestus is dicitur & moderatus potius,
quàm magnanimus. In magnis siquidè rebus,
ut nomen arguit, magnanimitas versatur.

Quid igitur maximè appetit magnanimus?

Glo.

Gloriam sive honorem. Is enim bonorum externorum omnium est maximum.

Quinam huic virtuti resistunt?

Elati & superbientes, & qui demisso sunt animo.

Quinam superbi sunt & elato animo?

Qui majora quàm quibus digni sint, præmia se meritos esse putant.

Qui demisso dicuntur animo?

Qui minora quàm quibus pro debito honore digni sunt, sibi deberi judicant.

Estne hæc affectio omnino contemnenda aut fugienda?

Quarò magis hæc ad virtutis mediocritatem quàm superbia accedit, tãtò vehementius quoque quàm illa commendanda est. Vnde Christus sæpè humilitatem præcipit.

¶ Cicero: Rectè præcipere videntur, qui monent, ut quantò superiores fumus, tantò nos geramus submissiùs.

CAP. V.

De honoris cupiditate.

Estne virtus aliqua quæ propriè dicitur honoris cupiditas?

Est sane, quæ cernitur in mediocribus honoribus. Aristoteles id demonstrat à vitiosis extremis. In quibuscunque enim rebus excessus atque defectus reperitur, in iis quoque est aliqua mediocritas: In expetendis honoribus ea reperiuntur: Ergo mediocritati quoque inter illos locus relinquetur.

Quomodo igitur hæc distinguenda ab antecedente magnanimitate?

Vtriusque idem ferè subjectum est: videlicet honos: attamen hæc in parvis, illa verò magnanimitas in magnis honoribus occupatur.

Qualia sunt hujus disparata?

φιλοτιμία, Ambitio: & honoris vacuitas.

Ambitiosus quis dicitur?

Qui nimio honoris studio trahitur, & in iis rebus gloriam consectatur, ubi promerenda non est.

Honoris vacuitas qualis est affectus?

Est gloriæ omnis contemptus.

C A P. V I.

De Mansuetudine seu clementia.

Qualis virtus est mansuetudo?

Est virtus animo tranquillo, ac patienti omnia ferens.

¶ Cicero i. Offic. Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia.

Quòdnam verò proprium hujus subjectum est?

Iracundiæ mediocritas.

Quem igitur hac ratione dicis mansuetum?

Qui ab affectu aut animi perturbatione minime ducitur, sed prout ratio statuerit, succenset.

Quenam ab hac virtute dissentiunt?

Iræ vacuitas, & iracundia. In illa defectus, in hac ex

hac excessus quidam est.

¶ Cicero : Ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur reipublicæ causa severitas.

Iracundia quomodo delinquit?

Cum quispiam ob ea quæ non oportet magis ac citius, longiusque quam deceat irascitur.

*Estne unum genus iracundorum hominum,
an multiplex?*

Tria eorum genera sunt: Alii propriè dicuntur iracundi: alii acerbi sive austeri: alii difficiles.

Iracundi qui dicuntur?

Qui citius quam par sit irascuntur, nec tamen diu iram sustinent.

Acerbi quinam sunt?

Qui longiore tempore irascuntur, nec facile, antequam ultionem sumpserint, desistunt.

Difficiles sive morosos quos definiis?

Qui nunquam nisi ultione sumpta iram deponunt.

*Iracundiâne, an iræ vacuitas mansuetudini
magis resistit?*

Iracundia: quippe quæ in hominum commerciis sit deterior.

¶ Cicero hunc affectum in omnibus rebus repudiandum esse monet.

C A P. VII.

De Veracitate.

Quid est veracitas?

Est debita sermonum dictorumque constantia.

Qualia sunt hujus disparata?

Ostentatio & dissimulatio.

Quem dicis ostentatorem?

Qui præclara vel quæ non habet, vel majora quoque fingit, ac sibi adjudicat.

Quot sunt genera ostentatorum?

Varia. Mentiuntur enim alii nullius rei causa: sed tantum quia mendacio gaudent: Alii ob honoris & gloriæ cupiditatem: Nonnulli spe pecuniarum ad mentiendum moventur.

Dissimulator quis est?

Qui quæ sibi insunt vel negat vel imminuit.

Quot modis fit dissimulatio?

Duobus. Alii enim dissimulatione utuntur in rerum admirabilium doctrina, & in ingenii aut sapientiæ inficiatione: ut Socrates se nihil scire profitebatur. Alii verò parva manifesta que dissimulant, qui dicati & veteratores dicuntur. ¶ Huic virtuti similis est fides. Cicero eodem nomine utraq; definit i. Offi. inquit: Fides est delictorum conventorumque constantia & veritas: quæ sic appellatur, quia fiat quod dictum est.

CAP. VIII.

De Verecundia.

Verecundia qualis virtus est?

Est timor quidam infamiæ atque dedecoris.

Quomodo

Quomodo, Si ex formidine oritur, inter virtutes referri poterit?

Aristoteles asserit, eam pathos potius ac corporis affectum esse, quàm animi habitum sive virtutem, ideoque eam ob generis diversitatem è virtutum numero excludit.

Qua ratione plenius hoc ostendit?

Quia nec senioribus, nec ullis omninò bonis viris còvenit. Senes enim & viri boni tale quippiam, ob quod pudore suffundantur, committere non debent.

Si igitur virum bonum non deceat, quomodo laudabilis affectus esse potest?

Laudabilis quidem affectus est: & si generalem definitionem virtutis còsideremus, ei quoque subjici potest: Verecundia siquidem actio est rectæ rationi consentanea. Honestum est & laudabile ob delicta erubescere, & si honestum, virtuti quoque consentaneum erit.

¶ Verecundia si virtus non sit, immerito in Ethicis describitur, sed virtus est in omnibus laude digna: Nempe rerum, quæ minus nos decere videantur pœnitentia. Ita Cicero i. Offic.

ait: Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum. Et in Lælio: Maximum ornamentum amicitie tollit, qui ex ea tollit verecundiam.

LIBER QUINTVS

Repetitionis Ethicorum.

Argumentum hujus libri.

Adhuc de virtutibus moralibus quæ simplices dicuntur: Sequitur in libro quinto deinceps de Iustitia, quæ precedentes omnes in se complectitur, ideoque rectè virtus simplicibus conjuncta dicitur.

C A P. I.

De Iusticia.

Iustitia qualis est virtus?

Est virtus res justas ultrò agens.

Quomodo hæc cum cæteris conferenda?

Est hæc omnium perfectissima, ideoque omnium aliarum domina & regina: ἡ δὲ ἰσχυρὴ, ἡ δὲ ἐν αὐτῷ δαυμασὸς: Neque Hesperus, neque Lucifer tam admirabilis est.

Quam ob causam?

Primò, quia non ad sua tantùm, sed ad alterius commoda refertur. Deinde quod aliarum virtutum actiones in se cõplectatur, ut dicitur.

ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συναρπύθην πᾶσ' ἀρετ' ἐστὶ.
Iusticia in sese virtutes continet omnes.

Quomodo reliquas sub se continet?

Quia lex quam justus observat, & ad cujus normam vitam suam instituit, etiam fortibus officium suum præscribit, ne deserât ordinem,

aut

aut fugiant: Temperanti ne adulteretur: Clementi ne convitietur & sic deinceps.

CAP. II.

De speciebus Iustitiæ.

Quotuplex est Iustitia?

Vniuersalis aut particularis.

Vniuersalis quenam est?

Est obedientia erga omnes leges.

Iustitia particularis quomodo definitur?

Est virtus suum cuique in omni contractuuum genere tribuens.

Anne sunt certa & distincta hujus genera?

Dividitur in distributivam, quæ in omnium rerum, utpote honorum, pecuniarum inter cives dividendarum, æquali distributione versatur: & commutativam, quæ in omnibus commerciis & contractibus locum habet.

Quot sunt genera commerciorum?

Duo. Contractuum enim alii voluntarii sunt: emptio, venditio, sponsio, locatio: Alii involuntarii, & hi vel clandestini, ut furtum, veneficium: vel violenti, ut convitium, contumelia.

CAP. III.

De iustitia distributivâ.

Quid faciendum ut observetur equalis aut inæqualis distributio?

Proportio & rerum & personarum quibus aliquid tribuendum observanda est: alioquin enim criminationes & querelæ fiunt.

An propriè hîc docetur de proportione?

Aristoteles eam hoc loco definit æqualitatē rationis, in quatuor minimis consistētē. Sed definitio proportionis est Arithmeticæ artis propria, hujus verò heterogenea.

In quibus autem quatuor minimis iustus consistet?

Quia inter quos ius est, duo sunt: in quibus autem cernitur ius, itidem res duæ sunt.

Qualis proportio convenit iustitiæ distributivæ?

Proportio duplex traditur ab Arithmetiis: de vinc̄ta, quæ expressè quatuor terminis utitur: & conjuncta, quæ tribus tantum constat. Illa dicitur Arithmetica: hæc verò Geometrica. Distributivæ autem Iustitiæ convenit proportio Geometrica.

Quî hoc ostendis?

Quemadmodum in Geometrica proportione, numerorum: Ita hic rerum & personarum convenientia spectatur & proportio: ut nimirum unicuique conveniens & idoneum munus tribuatur, rerum peritis gubernatio reipublice, rudibus aliis servitia alia.

CAP. IIII.

De Iustitia commutativa.

In iustitia commutativa quænam proportio observanda?

Arithmetica.

Qua ratione hæc convenit iustitiæ commutative

Quod

Quod quemadmodum in Arithmetica portione ubique æqualis numerorum differentia observatur: Similiter in hac justitiæ specie, nulla habita personarum ratione, tantum exacta servatur æqualitas, nempe vel damni, vel lucri.

Ergone justitia commutativa medium quiddam erit inter damnum & lucrum?

Omnino. Videndum enim ne aliis noceamus aut nimium lucro præsertim illicito inhiemus.

Quis est executor hujus justitiæ?

Iudex. Hic enim est *ἐμψυχὸν δίκαιον*, jus animatum, sive viva justitia: dicitur etiam arbiter honorarius, item sequester.

Quo sensu Grecis jus dicitur δίκαιον?

A *δίχα* & *δν*, quasi *δίκαιον*, quod totum bifariam, & tamen in æquas partes diuidat. Vnde *δίκαιος* quasi *δίκαιός*, divisor vel adæquator.

Quòdnam igitur officium est judicis?

Qualemcumque injuriam ad æqualitatem absque omni personarum respectu traducere: Ut si emptor aliquis venditorum circumvenerit. ut is octaginta tantum aureos retineat: cum ante contractum uterque habuisset centum: judicis erit viginti aureos emptori detractos venditori adjicere.

Præcipiturne etiam hac æqualitas in lege civili?

Non exactè in illa observatur. Jurisconsulti enim permittunt eumentibus & vendentibus

D

40 GUL. SCRIBONII
inter se circumscribere, nec datur ἀδικημάτων ἀ-
έτιο, nisi ultra dimidiam pretii partem fuerit
deceptus.

*Ergo semper damnum pro damno
reddendum?*

Sic quidem præcipit lex Talionis.

CAP. V.

πρὸς τὴν ἀντιπαινονδότην, De lege Talionis,
ius Talionis quale est?

Si quod quisque facit, idē patiatur: sicut mo-
net versiculus ille qui Rhadamanto adscribi-
tur: Cuique pari si retuleris par, jus æquum
erit, ut oculum aliis eruenti oculus eruatur.

Estne hæc lex semper iusta?

Pythagoræi quidem eam ratam habuerunt.
Non videtur autem vniuersaliter in omnibus
locum habere.

Quibus argumentis hoc demonstras?

I. Quia permultum interest, utrum volen-
tes & scientes, an verò inviti vel per impruden-
tiam peccemus, aut quippiam faciamus.

II. Deinde, quòd qui inceperit & prior in-
juriã intulerit, graviori pœna videtur dignus,
quàm ut simpliciter mutuum patiatur.

III. Tertiò, quòd in contractibus quibusli-
bet non semper locum habere videtur.

Non enim semper fieri potest commutatio
rerum simpliciter similium aut æqualium, ut
libræ ferri, & libræ auri.

*Quando igitur locum habere potest jus illud
Talionis?*

Sires

Si res ipsæ analogia & proportione ad æqualitatem redigantur: Ut vinum & boves, vel boves & calcei.

Quomodo invenitur proportio, qua res ad æqualitatem redigantur?

Considerandum, quæ res sit magis necessaria, & cujus major sit copia. Sic quia minor est copia auri quàm ferri, ideo major est æstimatio auri quàm ferri. Frumentum cariùs venditur quàm lignum.

Ergone indigentia humana in contractibus omnia ponderare solet?

Ita videtur. Crescente siquidem indigentia rerum augetur earum pretium, minuitur autem ea decrescente.

¶ Sic Valerius lib. 7. cap. 6 refert, quendam emisse murem ducētis denariis, ut famem qua conficiebatur expleret. Ita cum Hierusalem à Vespasiano obsideretur, omnes suas facultates una mensura tritici vel hordei commutarunt. Alii quisquilias magno emerunt pretio, ut ex Iosepho refert Eusebius lib. 3. Ecclesiasti. 6.

Qua re omnium commodissimè sit adequatio in emptione & venditione?

Per nomisma. Hoc enim inventum est, ut omnia metiatur & adæquet.

Vnde dicitur nomisma?

ἀπὸ τῆς νόμος, à lege, quod non à natura, sed à lege fit ortum, & idcirco in nobis situm, ut mutetur, vel inutile reddatur.

Quid igitur factum ante nomismatis usum?

Permutatio rerum facta fuit: ut apud Homerum dantur boves, æs, ferrum, mancipia.

CAP. VI.

De Iure civili.

Quid est jus civile?

Quod in societate & communione vitæ positum eò adhibetur, ut vel proportionem vel numerationem ratione satis magna sit multitudo hominum, qui liberi sunt, & æquo inter se jure vivunt.

Inter quos igitur locum maximè habet jus civile?

Inter homines liberos & æquales.

Anne etiam inter herum & servum: item inter patrem & filios locum habet?

Non magis filio cum patre, & servo cum domino jus est, quàm pedum aut manuum cum toto corpore: filius enim pars quædam est patris.

CAP. VII.

De pleniore juris distributione.

Quotuplex est jus?

Duplex. Aliud naturale, aliud legitimum.

Quid est jus naturale?

Quod ex ipsa natura ortum ducit, ut eadem sit ejusque ubique vis & facultas, ut quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Annon igitur mutabilia sunt jura natura?

Rarissimè inveniuntur causæ ob quas mutantur. Quæ Deum respiciunt, simpliciter sunt immutabilia, ut leges decalogi. Quæ verò homines

nes

nes concernunt, interdum mutari possunt. Nimirum si duæ leges concurrant, inferior cedit superiori.

Quomodo hoc intelligendum?

Natura jubet, ut depositum reddamus: at si furiosus gladium reposcat, quem apud te sanæ mentis deposuit, iniquè feceris, si ei restituas. Lex enim superior valebit, quæ est, Neminem lædito.

Quid est legitimum vel positivum jus?

Quod tum primum valet cum est constitutum, nec ullam vim antea obtinuit.

Estne hoc mutabile?

Potest mutari pro cuiusque loci tēporisque diversitate nō minùs quàm mēsurā & pondus.

CAP. VIII.

De injusto.

Cupio plenius aliquid audire de injustitia & injuria:

Quem igitur injustum esse dicis?

Qui voluntate sua alteri facit injuriam.

Quod modis aliquis facit injuriam?

Tribus. Primò, si quis admittat aliquid imprudens contra eum, de quo nihil tale cogitat, nec quo instrumento, nec qua de causa ageret. Et hoc genus injuriarum dicitur infortunium. Deinde, si quis non inconsulro quidem, sed tamen nec de industria aliquid facit. Et hoc genus dicitur delictum, non injustitia. Aut si & consultò & cogitatò fit injuria, & tum meritò aliquis injustus habetur, quæ injuria dicitur.

Cur autem qui ex ira aut alio affectu nocent,

non sunt iniusti dicendi?

Quòd ipsi non videantur autores mali, verum ipse potius, à quo sunt incitati. Spectandum enim & hoc, utrum jure an injuria iratus nocuerit.

Estne iudex etiam iniustus habendus, qui in-
aqualiter distribuit, aut iniquum ju-
dicium interposuit?

Si imprudens & ignarus hoc tulerit, crimen illud licet ei effugere. si verò sciens, vel ob gratiam: vel vindictæ cupiditatem, iniustus appellandus.

CAP. IX.

De iis qui injuriam patiuntur.

Fierine potest, ut quis sciens injuriam &
volens patiarur?

Nequaquam. Nemo enim videtur alteri nocere, nisi contra ejus voluntatem. Deinde nemo volens cruciatur: Qui autem injuriam patitur, cruciatur. Ergo nemo volens injuria afficitur.

At ii uamen voluntariam injuriam patiuntur, qui
propter amorem cupiditatemq; opes sua di-
lapidant, vel vino se obruunt, quod sibi
norunt obesse?

Minimè. Inferunt quidem sibi ipsis damnum: nullam autem injuriam patiuntur. Vnde nec Glaucus lib. 6. Iliados accepit injuriam, cum Diomedis aurea arma pro ferreis daret, quia in ipsius situm fuit potestate.

CAP.

De iis qui sibi ipsis inferunt injuriam.

Potestne quis sibi ipsi injuriam facere?

Per se quidem & propriè nemo dicitur, sed impropriè.

Cur nemo dicitur propriè sibi inferre injuriam?

Quia duo contraria non possunt simul in eodem subjecto consistere: Qui verò infert injuriam, peccat in excessu: Non potest igitur simul in defectu delinquere.

Quomodo autem impropriè?

Eò quod in homine ratio & concupiscentia sint, veluti personæ diversæ, quæ debent mutua officia, mutuamque defensionem. Cùm igitur altera debitum non præstiterit, alteram injuria afficit.

Quid de iis sentiendum qui seipsos interficiunt?

Faciunt illi injuriam, non tamen sibi ipsis, sed patriæ, quæ cive viro minuitur. Quare à re publica etiam pœna est constituta in eos, ut vel tanquam cadaver à carnifice comburantur, vel inhumati relinquantur.

De æquitate.

Coinciditne æquitas cum jure vel justitia particulari?

Non omninò. Æquum enim & bonum plerunque laudamus. Contrà verò vituperamus, si summo jure severius lata sit sententia.

Quid igitur est summum jus?

Quando leges sine omni mitigatione & exceptione severè retinentur. Vt si iudex furem pauperem egestate impulsam, alioquin probum, supplicio afficiat.

Quid verò equitas?

Æquitas est correctio legis, qua parte deficit in universali. Est igitur lex veluti regula generalis. Æquitas verò tanquam exceptio sive appendix.

LIBER SEXTVS

Ethicorum Repetitio.

Argumentum hujus libri.

Hactenus de virtutibus moralibus tū simplicibus, tum quæ illis conjuncta est justitia: Sequitur in hoc libro sexto de virtutibus intellectivis, quarum princeps est prudentia.

CAPVT. I.

De Scientia.

Quot sunt virtutes intellectiva?

Quinque: Scientia, Ars, Intellectus, Sapientia, prudentia.

Quid est Scientia?

Est habitus demonstrativus, quo perspiciamus conclusiones necessarias per suas causas.

Quarum rerum est Scientia?

Earum quæ secus evenire non possunt, ut sunt res æternæ.

Quando

Quando quis scire dicitur?

Si causas rerum cognovit.

CAP. II.

De Arte.

Quid est Ars?

Τέχνη ἐστὶν ἐξήρτις μετὰ λόγῳ ἀλαδὲς ποιητικὴ. **Habitus quidā cum ratione vera in faciēdo positus.**

Circa quæ versatur ars?

Non circa ea quæ sunt aut fiunt necessario, nec in iis locum habet, quæ à natura oriuntur: verùm in iis quæ esse aut non esse possunt, & quorum principium in nobis est situm.

CAP. III.

De Intellectu.

Quid est intellectus?

Est habitus principiorum, ex quibus conclusiones & argumenta ducuntur.

Cum principia illa non pertinent ad scientiam?

Scientia est eorum quæ demonstrari possunt: Principia autem illa non possunt demonstrari: Ergo non possunt referri illa ad scientiam.

CAP. IIII.

De Sapientia.

Quid est sapientia?

Est scientia & intelligentia eorum omnium, quæ maximè sunt in honore & pretio.

Quomodo differt à prudentia?

Prudens dicitur qui rectè rebus atque rationibus suis atque aliorum consulit: Sapiens au-

tem res quaslibet tantum contemplatur, neglectis rebus domesticis.

CAP. V.

De prudentia.

Quid est prudentia?

ἔστιν ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτικῆς, περὶ τὰ ἀνθρώπων ἀγαθὰ καὶ κακὰ : Est habitus verus cum ratione ad agendum idoneus, quæ vitæ hominum conducunt vel obsunt. Unde Periclem prudentem dicunt, quod suæ utilitati consulere potuerit.

Quinam igitur rectè dicuntur prudentes?

Qui rectè consilium in iis capere possunt, quæ à re sua sunt, & omnino ad bonam vivendi rationem pertinent.

Quotuplex est prudentia?

Duplex: Altera propriè φρόνησις, qua unusquisque sibi suisque rebus prospicit. Altera civilis scientia, πολιτικὴ dicitur.

Prudentia civilis quomodo subdistribuitur?

In νομοθετικῆν, id est, legum ferendarum rationem & in δρακτικῆν βουλευτικῆν, cujus ratione opus est in agendo, & exequendis iis, quæ lex iusserit: hæc in singulis rebus spectatur, illa in universalibus. Nam & leges sunt universales.

CAP. VI.

Prudentiam rectè proponi inter virtutes.

Sed quomodo prudentia quæ sepè videtur otiosa ad felicitatem, quam actio virtutum parit, conferet?

Prudentia, sicut & sapientia plurimum confert

fert ad felicitatem: ostēdit enim media per quæ ad finem propositum, quem virtus expetit, perveniamus, & ut maximè non conferret, esset tamen per se tanquam animi ornamentum expetenda.

Item virtus non potest esse sine electione: Electio autem nequit consistere sine prudentia: Ergo nec virtus sine prudentia: adeoque ad felicitatem requiritur.

Proba plenius virtutes non posse consistere sine prudentia?

Recta ratio est quæ prudentiæ cōgruit: Virtus autem definitur habitus rectè rationi consentaneus: Ergo virtus est habitus, qui sine prudentia non possit consistere.

Cum igitur virtus non sit sine prudentia, quare Socrates omnes virtutes prudentiæ nomine appellavit?

In eo erravit, quòd omnes virtutes prudentiam esse definivit: Sed quod non sint sine prudentia, rectè dixit.

CAP. VII.

De habitibus prudentiæ cognatis.

Quinam sunt habitus prudentiæ vicini?
σιβηρία, Sagacitas, & alii habitus.

Quid est εὐβουλία?

Est habitus consultandi, sive recta deliberatio, vel prudens consilium.

Estne autem Solertia?

Non est Solertia, est quædam conjectura: *σιβηρία* non est conjectura: Ergo *σιβηρία* non est so-

lertia, sed, ut dictum, habitus seu recta ratio ad finem consequendum utilis.

CAP. VIII.

De Sagacitate.

Quid est Sagacitas?

Ex qua sagaces reddimur & nominamur.

An non igitur ut placet, nonnullis est opinio?

Nihil minus. Alioquin enim omnes sagaces essemus, cū nemo sit qui nō aliquid opinetur.

Quid differt hic habitus à prudentia?

Circa eadem quidem versantur, verūm prudentia præcipit fieri ea quæ sagaciter judicata sunt. Invenit enim consulendo *εὐβουλία*, judicat sagacitas, imperat prudentia, ut quod rectè judicatum est, referatur ad actionem.

LIBER SEPTIMVS

Ethicorum.

Argumentum.

Absoluta hæctenus doctrina de virtutibus, tum moralibus, tum intellectivis, & his omnibus constante justitia: differit deinceps lib. 7. de virtutum omnium complemento & perfectione, quæ nominatur virtus heroica, & in iis tantum, qui mente prorsus divina sunt præditi, spectatur. Cumq; hæc in continentia potissimum versetur, de illa quoque docere pergit.

CAP. I.

Quid est virtus heroica?

Heroica

Heroica virtus est summa omnium virtutum perfectio, quæ in mente summè divina præditis tantum, & semideis deprehenditur, ut virginitas in Maria, admiranda abstinencia & fortitudo in Ioanne Baptista.

Quomodo distinguis hanc à reliquis?

Quia reliquæ virtutes cum sint naturales, ab hominibus etiam monstrosis mediocri conatu acquiri possunt: hæc autem planè divina est, ut non nisi divinitus homini inesse putetur adeoque homines Deo propemodùm adæquet.

Quodnam vitium illi virtuti contrarium?

Feritas: hæc enim omne aliud vitium excedit, & ex hominibus feras efficit. Sic sanguinè humanum haurire, crudas carnes (id quod barbari faciunt) comedere, beluinum est.

In quibus virtus illa potissimum deprehendit?

In continentibus.

CAP. II.

De continente & incontinente.

Quis dicitur Contingens?

Qui à voluptatibus abstinet, quibus plerique succumbunt.

Circa quas res versatur continens?

Circa pravas & vehemètes cupiditates, omnisque generis voluptates.

Ergone idem est ejus subjectum quod temperantis?

Est: Versatur enim uterque circa voluptates, sed non eodem modo: Intemperans enim cum corruptam habeat rationem, cum electione

E

agit. Incontinens veri integra & sana ratione, nihilominus ad scelera perpetranda rapitur.

Quomodo igitur plenius distinguuntur incontinens & intemperans?

Intemperans sponte & cum electione voluptates sequitur: Secus autem incōtinens. Item: Intemperantem factorum suorum non pœnitet: ideoque insanabilis est: Verum incōtinens pœnitentia plerunque ducitur.

Vter igitur deterior est?

Intemperans.

CAP. III.

De distinctione voluptatum.

Circa quas potissimum voluptates versatur cōtinens?

Circa naturales.

Quotuplices statuis voluptates?

Duplices: Alię enim absolutè sunt jucundę, quę omni animantium generi cōveniunt: Alię non sunt per se jucundę, & præternaturales dicuntur, sed vel ex morbo, vel consuetudine vitiosa & depravata natura nascuntur. Ejusmodi voluptas fuit Lamix, quę incisis gravidis mulieribus fœtus devorare fuit solita.

Annon circa postremum quoque genus continentia versatur?

Beluina voluptas sub vocabulo incontinentiæ continetur, non ut sub genere, sed propter similitudinem. Est enim duplex incontinentia: alia absoluta, alia autem in ira, pecuniis, honoribus ac ferinis etiam voluptatibus cernitur, quę cum additione illarum rerum exprimitur.

CAP.

Quænam deterior sit incontinentia.
*Vtra minus turpis est, iræ, an cupiditatis
 incontinentia?*

Iræ: Videtur enim hæc quodammodo parere rationi, quamvis eam non attentè audiat, more ministrorū, qui præposterè munus aliquod obeunt, antequam omnia quæ præscribuntur audierint, abeūtes, ut deinde officio desint. Sic iræ fervore natura incitata audit quidem ratione, sed præscriptione non intellecta, ad supplicium se convertit. Sed cupiditas qualicunq̃ motu ad perfruendas voluptates rapitur.

Alio argumento idem ostendas.

Ei potius ignoscendū est, qui cupiditates sequitur naturales: Iracundia autem natura potius data est, quàm cupiditates: Ergo iracundus magis venia dignus est, quàm qui ob pravas cupiditates incontinens dicitur.

De differentia pertinacis & continentis.

Potestne continens etiam appellari pertinax?

Sunt quidem similes quodammodo, quia uterque permanet in opinione: Sed in hoc differunt, quòd continens semper in vera, pertinax autem in qualibet persistat: adeo ut nullis rationibus, quantumvis melioribus, à proposito se dimoveri patiatur, & hi rectè possunt nominari *ισχυροψύχοις καὶ ἰσχυροψύχοις*. *Hart sinnige vnd halstarrige Leute.*

Estne simpliciter incontinens nominandus, qui in sententia non persistit, cujuscunque tandem modi fuerit quod secum constituit?

Nequaquam: Sed is tandem, qui ob rem turpem mutat propositum: neque enim Neoptolemus incontinens est dicendus propterea, quod sententiã mutarit, cū Vlyssi permisisset mētiri.

CAP. VI.

De incontinentia consuetudinaria & naturali.

Quorum incontinētia sanari potest facilius, eorumne qui consuetudine, an qui natura eam contraxerunt?

Eorū qui consuetudine incontinentes sunt. Est enim facilius mutare cōsuetudinem, quàm naturam: quippe cū propterea molesta sit consuetudo, quòd naturam proximè accedat, ut Ælianus inquit:

*Consuetudo valet longos mansura per annos,
Illaq; naturam, vires si sumpserit, aequat.*

LIBER OCTAVVS

Ethicorum.

Argumentum libri Octavi.

Absolvit hætenus Aristoteles omnem de virtutibus doctrinam, genera, eorumq; species universas proponens & explicans. Sed cū amicitia, de qua libro quarto differendum fuerat, prolixiorum tractatum requireret, eum ad finem usque cōservavit. Sic igitur reliquis

reliquis omnibus absolutis, nunc primum copiosè amicitiam proponit in sequentibus duobus libris, octavo & nono.

CAP. I.

De amicitia, ejusque causis.

Quid est Amicitia?

φιλία ἐστὶν ἔννοια ἐναντιωτικὸς μὴ λαυθάνασσα. Amicitia est benevolentia non latens, in mutua affectione consistens.

Amicitia unde trahit originem, à naturane, an ab indigentia, ut pleriq; opinantur?

Non ab indigentia provenit: alioquin enim egeni, quod absurdum est, omnium maximè erunt amici: sed à natura: ut ostendit insigne amicitiae specimen in brutis animantibus, qui prole suam & catulos miro amore prosequuntur. Item σοφὴ φύσις in hominibus, quæ adeo vehemens est, ut non possit unquam dirimi.

Quotuplex est amicitia?

Duplex: Alia per se, sive vera: Alia accidentalis, sive simulata.

Quenam est amicitia per se dicta?

Quæ primùm fuit definita, nempe quæ propter virtutem oritur.

Quæ est accidentalis?

Quæ non propter se, sed propter aliud expetitur, nempe vel voluptatem, vel utilitatem.

Qualis est amicitia, quæ propter utilitatem expetitur?

Ea facilimè ob levissimas quasque causas dif

solvitur, cessante nimirum utilitate, quæ ex amicitia proveniebat. Tales sunt amicitia, quas Ovid. Eleg. 8. lib. 1. Tristi. describit:

*Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Qualis est amicitia à voluptatibus orta?

Non minùs atque præcedēs fragilis est, cùm quis ob voluptatem benevolentia aliquem prosequitur. Ejusmodi simulatas amicitias plerisque esse Ovid. 1. de Ponto conqueritur:

*Illud amicitia quondam venerabile nomen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.*

Quæ à virtute oritur amicitia, qualis est?

Illa perfecta est, & nunquam, nisi per mortē dirimitur, maximè in bonis: adeoque sempiterna est, quia nihil in ea fictum, nihil simulatum, & quicquid in ea est, id verū est, & volūtarium.

Quid maximè proprium est amicorum?

I. Ut neque rogent res turpes, neque rogati ipsi faciant.

II. Ut cùm mores amicorum emēdati sint, tum eis sit omnium rerum, consiliorum & voluntatum sine ulla exceptione communitas.

III. Ut ne dispares sint amicorum mores: mores enim dispares studia sequuntur disparia, quorum dissimilitudo amicitiam dissociat.

Quatenus igitur amicus amico debet obsequi?

Quatenus non est contra honestū ejus propositum: nulla enim peccati excusatio, si per amicitiam peccaveris. Vnde cum Tyberius Gracchus Rempublicam Romanā divexaret,

C. Blo-

C. Blossius ei suppetias ferre non potuit.

Quae sunt amicitiae incommodae?

Scipio dicere solitus est, majorem amicitiae pestem, quam pecuniae cupiditatem non esse. Similiter Laelius dixit, nihil esse amicitiae magis adversum, quam sint, adulatio, blanditiae & assentatio.

Ejusmodi amicitiae suntne frequentes inter homines?

Rarissimae sunt. Tempore enim & consuetudine indigent: unde recte dicitur, homines se mutuo cognoscere non posse, priusquam salis modiam unam consumpserint. Hinc est, quod Laelius refert, ex omnibus seculis tria tantum amicorum paria esse inventa.

Quanam sunt ista paria?

Damon & Pythias, Pylades & Orestes, Theseus & Protheus. His annumerantur Scipio & Laelius, David & Ionathas.

Quomodo appellat Aristoteles amicitiam parentum erga liberos, principum erga subditos?

Amicitiam ex supereminetia. Amicitia enim patris erga filium, senioris erga juniorem, profus est ex aliqua excellentia.

Suntne similes amicitiae parentum erga liberos, & dominorum erga servos?

Nequaquam: Diversa enim filiorum & subditorum virtus est, diversumque opus: Ipsas ergo amicitias quoque diversas esse necessum est.

Amicitiam patris erga liberos cui politiarum equiparat Aristoteles?

Regiae seu Monarchiae.

LIBER NONVS

Ethicorum.

Argumentum libri noni.

*Inchoatam de Amicitia disputationem deinceps
in libro nono plenius persequitur.*

CAP. I.

De dissolvenda Amicitia aut retinenda.

Vnde conciliatur amicitia?

Morum similitudo, & mutua benevolentia
seu redamatio, amicitiam conciliat & cōservat.
*Si igitur amicorum alter mores suos mutaverit, ut
quem existimaveris bonum, aperte jam malum
conspicias, estne cum eo amicitia retinen
da, vel mox resolvenda?*

Non statim dissolvenda est amicitia, sed dan
da opera est, ut amici pravos mores corrigan
mus, eumque in pristinum statum, si fieri possit
reducamus. Quod si fieri nequeat, dissolven
dæ magis sunt, quàm discindendæ amicitie
improbiorum hominum.

Potestne inter homines sceleratos esse amicitia?

Nullo modo: Eiusmodi enim per malâ con
scientiam qua affliguntur, aliis neque collucta
ri neque condolere possunt. Est igitur inter ma
los non amicitia, sed conjuratio seu factio que
dam. Quamvis enim contingat nōnunquam,
ut in patrandis sceleribus pravi consentiant: il
la tamen consensio & unanimitas non diu con
sistit

sistit. Hinc amicitia cum sit virtus, in malis locum non habet.

Suntne idem, benevolentia & amicitia?

Non: Benevolentia enim erga ignotos esse potest, amicitia non item. Item omnis amicus est benevolus, non autem e contra.

Amicōne magis, an alii viro probo est inserviendum?

Ad circumstantias & occasionem est respiciendum. Quod si amicus in summis vitæ periculis sit constitutus, relicto bono viro, qui nostri auxilii indiget, primùm amico est inserviendum.

Amicus potest ne esse φίλαυτος?

φίλαυτος, si pro eo intelligatur, qui omnia sua consilia, facta dictaque, a deoque ipsam mentem eò confert, ut justus ac modestus sit in omnibus vitæ suæ actionibus, non erga se solùm, sed etiam erga alios: hac sanè significatione quilibet bonus amicus quoque φίλαυτος, id est, amas sui dici potest.

Felix cum omnibus bonis abundet, & ex se sibi sufficiat, indigetne amicis?

Absurdum est felicem, cum ei omnia alia bona tribuantur, amicis spoliari. Nemo enim eum, qui cum omnibus bonis affluat, vitam tamen solitariam ducat, beatum dicit.

Debentne igitur multos amicos conciliare?

Tot conciliabit, quot ad conservationem operis habuerit, & honestam vitam: multorum neque sit hominum, neque nullius hospes, ut inquit Hesiodus.

Potestne multorum quis esse amicus?

Amicitia vera tantum inter duos consistit: unde si quis multos habeat amicos, omnibus familiariter occurrat, & suaviter cunctis conversetur & colloquatur, ille neminem verè, sed civiliter tantum amare videtur. Hinc non amici, sed obsequiosi propriè hujusmodi homines dicuntur.

Qui dicuntur civiliter amare?

Qui dicta factaque omnium eorum, cum quibus versantur, laudare & admirari consueverunt, neque illis unquam ulla in re adversantur: quam obrem obsequiosi etiam dicuntur, quod omnibus obsequantur, vel rectè obsequi videantur.

Amici anne magis in tempore infortunii, an tempore bonæ fortunæ sic appellandi sunt?

Amicorum præsentia omni tempore suavis est. In rebus adversis quidem magis necessarium est, habere amicos: in rebus autem prosperis, honestius.

LIBER DECIMVS

Ethicorum.

Argumentum libri Decimi.

Cum proposuisset Aristoteles in Ethicis proponere, quisnam sit finis hominũ, & quæ felicitas, & quibus mediis eam assequi possimus, tandem illis absolutis progreditur rursus ad felicitatem, eam non consistere in voluptate, docens.

CAP. I.

De Voluptate.

Quid-

*Quidnam de voluptate sentie ndum? estne
summum hominis bonum?*

Voluptas quidem non est summū bonum, siue felicitas hominum, maximè tamen felicitati conjuncta est: non autem omnis, sed ea tantū, quæ ex virtutibus & bonis actionibus provenit.

Cur igitur Eudoxus in voluptate summam felicitatem posuit?

Quod videret eam ab omnibus hominibus etiam summa ratione præditis expeti. Sic enim colligebat: Id quod omnes expetunt, maximè bonum & honestum est: Voluptatem omnes expetūt: Maximè igitur bona & honesta. Item: Quicquid summè expetendum, id præstantissimum est: Voluptas maximè expetenda: Igitur præstantissima.

Sed satisne firma sunt hæc Eudoxi argumēta, quibus voluptatem esse summum bonum arguit?

Videntur quidem probare voluptatem esse bonum aliquod, sed non summum bonum, id quod ostendere Eudoxus proposuerat.

An rectè igitur docuerunt alii, qui rem omnino malam esse voluptatem desinierunt?

Sunt quidem, qui pluribus argumentis hoc ipsum arguere volunt, sed infirmis admodum rationibus nituntur. Primū enim sic colligunt:

I. Omne bonum est qualitas: Voluptas nō est qualitas: Igitur nec bonum est.

II. Omne bonum est finitum: Voluptas nō est finita: Non igitur bona.

III. Omnis generatio est motio imperfecta: Voluptas est motus quidam vel generatio: Ergo imperfectum quiddam.

IIII. Qualia sunt ea, unde voluptates gignuntur, tales sunt voluptates: qualis enim causa, talis effectus: Pleraque autem generantia sunt prava: Ergo, &c. Et per consequens voluptas non potest esse summum bonum.

Quomodo ostendis argumenta esse infirma?

Primo, ubi docent, omne bonum esse qualitatem, plurimum errant. Effectus enim seu operationes virtutum quamvis boni sint, tamen qualitates non sunt: motus enim non sunt qualitates. Similiter felicitatem nemo, quatenus versatur circa operationem virtutum, qualitatem dixerit: bona tamen quin sit, dubium non est. Deinde falluntur, qui voluptatem infinitam esse dicunt: non enim secundum perceptionem voluptatis, quod alius majorem, alius minorem eam percipiat, infinita est censenda: alioquin enim idem circa virtutes contingeret.

Tertium argumentum hac ratione dilui potest: omnis motus est velocior & tardior: Voluptas autem neque velocior, nec tardior dicitur alia: Igitur voluptas non est motio.

Quartum argumentum non probat voluptatem esse malam: sed potius ostendit diversas esse voluptatum species, inter se differentes, pro ut res à quibus illae proveniunt, distinguuntur.

Si igitur in voluptate non consistit felicitas quid eam esse desinies? Estne habitus?

Habi-

Habitus esse non potest. Sic enim & ei, qui maximis periculis esset expositus, aut qui totā vitā Endymionis instar dormiret, inesset. Cū ergo quisquam, etiamsi omnibus virtutib. sit exornatus, nec tamen prospera utatur fortuna non dicatur felix, felicitas non in habitu, sed operatione venit collocanda.

Qualis autem est operatio?

Operationes nonnullæ sunt quidem necessariae, sed tamen propter aliud tantum expetendæ, quales sunt actiones virtutum, item contemplationes & cognitiones rerum. Et ex hoc postremo genere est felicitas, per se nimirum eligenda, nulliusque rei indiga.

Lusus est actio, quæ per se, nec ob aliud expetitur: in hoc igitur erit felicitas?

Licet tyranni & alii in potestate constituti ludis vacent, absurdissimum tamen est, in iis finem hominis collocare. Ludimus enim & jocamur, ut nos recreemus: felicitatem verò propter se expetimus.

Quenam igitur virtus est perfectissima, secundum quam operari dicis felicem?

Sapiētia. Illa enim omnium intellectualium virtutum & præstantissima.

Quotuplex est illa felicitas?

Alia contemplativa est, alia activa.

Quenam harum est præstantior?

Quemadmodum contemplativæ virtutes activis sunt excellentiores, & sapientia præferatur prudentiæ: Ita & felicitatē contemplativam

64 GUL. SCR. ETH. LIB. X.
activæ haud immeritò præponimus.

Quando perfecta dicitur felicitas?

Cum vitæ longitudinem perfectâ nacta est.
Hujusmodi enim vita præstantior est, quàm
quæ homini conveniat: non enim quatenus
homo est, sed quatenus divinum quiddam ei
inest, sic vivet.

*Quenam huic operationi aut vitæ contemplativæ
est proxima?*

Ea, quæ secundum virtutem moralem confi-
stit, & felicitati civili est accommodata, id est,
Vita activa, in qua secundum virtutes homo
optimam & felicem vitam traducit.

*Quomodo igitur plenius distinguit felicitatem
contemplativam ab activa?*

Intellectualis felicitas ab omnibus homini-
bus conjunctis affectibus est separata, & de ea
proprium est Theologorum differere. Civilis
autem & moralis felicitas, quia est secundum
prudentiam, quæ cum virtutibus moralibus
est conjuncta, ab affectibus humanis non pror-
sus est aliena: virtutes enim morales affectibus
sunt annexæ.

*Sufficitne virtutum & honestarum actionum
habere cognitionem?*

Nihil minùs: non satis enim est virtutum &
honestarum actionum habere cognitionem, ni-
si eas etiam nos ipsi peragamus: non verba, sed
ipsæ actiones hominem probum reddunt. Sci-
re autem ea quæ bona sunt & honesta, non au-
tem re ipsa præstare, laudem omninò nullam
meretur.

ME.

65

MENON PLATONIS,
SIVE

Dialogus de Virtute.

Analysis hujus Dialogi.

DOCTRINA hujus Dialogi de virtute ut plurimum est Elenctica. Plato siquidem sub persona Socratis disputaturus, quidnam virtus sit, quæ sint ejus principia, quibus comparari possit: aliorum præcipuè definitiones & opiniones quaslibet vitiosas, utpote Aristippi, Gorgiæ, Menonis & Protagoræ refellit. Prima proponitur partialis de virtute virorum & mulierum. Altera est, ubi virtus definitur justè aliis imperare. Tertia additur, virtutem esse facultatem comparandi bona. Vltimò definitur scientia: ubi copiosa interim disputatio additur de reminiscentia, sive recordatione præteritorum & absentium. Omnes autem & singulas istas definitiones Plato acutissimè eruditissimeq; refutat: ita tamen, ut facile suam ipsius mentem, & quid ipse sentiat, declaret. Deinde ostendit, quomodo virtus nobis adesse, aut à nobis comparari possit. Dialogus igitur planè moralis est, multarum doctrinarum plenissimus, ideoq; etiam qui studiosè legatur, dignissimus.

DIALOGI PERSONAE.

MENON, SOCRATES, PUER

MENONIS, ANYTUS.

*An virtus
disciplina
& exercita-
tione: an ve-
ro natura cō-
paretur.*



Potesne mihi dicere, ô Socrates,
 num doceri possit virtus, aut non
 doceri, sed exerceri: aut neque exer-
 ceri, neque disci, sed ex natura, aut
 alio quodam modo hominib. accedat? S O C R.
 Ante hoc tempus, ô Menon, Thessali clari fue-
 runt inter Græcos, & in admiratione constitu-
 ti, & ob equitandi artem & ob divitias: Nunc
 verò, ut mihi videtur, etiam ob sapientiam: &
 vel maximè Aristippi sodalis tui Larissæi civis.
 Hujus autem rei autor nobis est Gorgias. Hic
 enim ad civitatem delatus, tum ex aliis Thessa-
 lis, tum ex Alevadis, ex quibus tuus amator A-
 ristippus est, primarios sibi ob sapientiam ami-
 cos fecit: & sanè ad hūc morem vos assuefecit,
 ut intrepidè & magnificè respondeatis, si quis
 aliquid interroget, velut par est facere eos qui
 sciunt: ut qui etiam ipse exhibeat seipsum, ut
 qui velit ex Græcis, interroget quicquid velit,
 & omnibus respondeat. At hic, ô clare Menon,
 contrarius rerum status est, velut squalor qui-
 dam sapientiæ factus est, & videtur ex his locis
 ad vos sapientia abire. Si itaque aliquem ex his
 quæ hic sunt. hominib. ita interrogare velis, ne-
 mo non ridebit, & dicet: ô hospes, puto me bea-
 tum, quendam tibi videri, & proinde nosse, an
 virtus doceri possit, aut alio modo accedat. Tã-
 tum

tum autem abest, ut ego sciam, an doceri possit, aut nō, ut neque hoc ipsum, quid tandem omnino sit virtus, sciam. Ego igitur etiam ipse, ō Menon, ita affectus sum, in magna hujus rei egestate unā cū civibus cūstitutus, & mēipsum accuso, ut de virtute in totum nihil sciens. At de quo nō novi quid sit, quomodo, quale quidam sit, nosse possum? Aut videtur tibi fieri posse, ut qui Menonem non noscat in totum quis sic, hoc sciat, an pulcher, aut dives, aut generosus sit, aut etiam his contraria? Videtur tibi fieri posse? M E N O N. Non mihi. At tu, ō Socrates, revera neque quid sit virtus nosti? Et hæc de te ad domum referemus? S O. Non hoc solū, ō amice, sed etiam, quod neque in alium quempiam inciderim, qui hoc novisset, ut ego puto. M E. Quid verō cum Gorgia non es colloquutus, cū hic esset? S O C. Ego sanē. M E. Deinde non videbatur tibi nosse? S O C. Non admodū memor sum, ō Menō. Quare in præsentia dicere non possum, quomodo tunc mihi visum fuerit. Sed fortassis & ille novit, & tu nosti, quæ ille dixit. Revoca igitur mihi in memoriam, quomodo dixit. Aut, si mavis, ipse dicas. Tibi enim fortassis eadem, quæ illi videntur. M E. Mihi equidem. S O C. Illum itaque sinamus, quandoquidem etiam abest. Tu verō ipse per Deos ō Menon, quid virtutē esse dicis? Dic, & ne invideas, quo felicissimi mendacii convincar, si tū nosse videaris itemque Gorgias, ego verō dixi in neminem me unquam incidisse, qui id novisset. M E N O N. At non difficile dictu est, ō Socra

Essentia vel ignorata, neque qualitate ejus sciri posse.

Candidè & sincerè absque invidia esse omnia uocēda.

*Virtus viro-
rū quanam
principalis.*

*Diversa ejus
modi cuius-
libet officia
Cicero copio-
se in lib. Of-
fi. descri.*

tes. Et primum quidem si ita vis, viri virtutem dicere facilius est. Est enim viri virtus, præstantem esse in Reip. negociis administrandis, & in his tractandis, amicis benefacere, inimicis male: & sibi ipsi cavere, ut ne quid tale patiatur. Si vero vis, mulieris virtutem non difficile est recensere: oportet enim ipsam domum rectè gubernare, ita ut conservet ea quæ intus sunt, & viro obediens sit. Et alia est pueri virtus, tum fœminæ, tum masculi: & viri senioris, tum liberi, tum servi: Et multæ aliæ virtutes sunt, ut non sit inopia dicendi de virtute, quod sit. Nam in singulis actionibus, & ætatibus, ad unumquodque opus, unicuique nostrum virtus est. Similiter autem arbitror etiam vitium. S. Multa quadam bona fortuna usus esse mihi videor, o Menon, qui unam quærens virtutem, examen quoddam virtutum apud te repositarum inveni. Verum, o Menon, secundum hanc circa examina similitudinem, si me interrogante de apis essentia, quidnam sit multas, & varias ipsas esse respondisses, quidnam responderes mihi, si interrogarem te: Num ob hoc multas & varias, & inter se diversas esse dicis, quod sunt apes aut in hoc quidem nihil differunt, sed alio quodam, velut aut pulchritudine, aut magnitudine, aut alio quodam huiusmodi? Dic quid responderes, sic interrogatus? M. Hoc sane ego responderem, quod nihil differat altera ab altera, quatenus apes sunt. S. Si igitur post hæc dicerem: Hoc itaque ipsum mihi dic, o Menon, quo nihil differunt, sed idem omnes sunt, quid hoc esse dicis? Haberes ne quod mihi responderes? M. Ego sane. S. Sic sane etiam

nè etiam de virtutib⁹, etiã si multę & varię sunt, unam tamen quandã speciem eandẽ omnes habent, propter quã sunt virtutes, ad quã iustum est respicere eũ, qui respõsurus sit, ei q̄ interrogavit, quid sit virtus. Aut nõ intelligis quòd dico? M. Videor mihi intelligere, non tamẽ adhuc velut volo, id quod quæris comprehendere. S. Vtrũ verò de virtute solũm ita tibi videtur, õ Menon, aliam quidẽ viri esse, aliã mulieris & aliorum: aut etiã de sanitate, & de magnitudine, & de robore eodẽ modo, ita ut aliam quidem viri sanitatem esse putes, aliam mulieris: aut eadem ubiq; species est, si quidem sanitas fuerit sive in viro, sive in alio quocunq; fuerit? M. Eadẽ mihi videtur esse sanitas & viri, & mulieris. S. Nõne etiã magnitudo & robur? si quidẽ robusta fuerit mulier eadẽ specie & eodem robore robusta erit? Nam eodem hoc dico, ut in eo quod robur est, nihil differat robur, sive in viro sit, sive in muliere. Aut videtur tibi differre? M. Non mihi. S. At virtus in eo quod virtus est, differet, sive in puero sit, sive in sene, sive in muliere, sive in viro? M E N O N. Mihi quodammodo videtur, õ Socrates, hoc nõ amplius aliis his simile esse. S O C R A. Quid verò viri virtutem non dicebas esse, rempub. rectẽ gubernare, mulieris autem domum? M E N O N. Ego sanẽ. S O C R A. Nunquid fieri potest, ut quis aut rempub. aut domum rectẽ gubernet, aut quidvis aliud, si non temperanter & justẽ gubernet? M. Non ita. S O. Nõne, si quidem justẽ & temperanter gubernarint, iustitia & tẽperantia gubernata

Vna eademque virtutũ etiam variarum species.

Eadẽ omnium hominum sanitas.

*Eadem virtus
species
copiosius pro
ponitur.*

*Verum om-
nis virtus sit
iustitia, an
quædam so-
lūmodo hoc
nomine defi-
nienda.*

bunt? M. Necessè est. S. Iisdem ergò ambo opus habent, si boni esse debent, & mulier & vir, iustitia & temperantia. M. E. Apparet. S. O. C. Quid verò puer & senex, num si petulantes & iniusti sint, boni unquã fuerint? M. E. Non ita. S. O. Sed si temperates & iusti? M. E. Etiam. S. O. Omnes ergò homines eodem modo boni sunt. Eadem enim adepti, boni fiunt. M. E. Apparet. S. O. Non enim profectò eodem modo boni essent, si non eadem ipsorum virtus esset. M. E. Non profectò. S. O. Quandoquidem igitur eadem omnium virtus est, conare dicere & in memoriam revocare, quid ipsum Gorgias esse dixerit, & tu cū illo. M. E. Quid aliud, quàm posse hominibus imperare, siquidem unum quiddam in omnibus quæris. S. O. Atqui quæro. Sed num & pueri eadem virtus erit, ô Menon. itemque servi, ut possit imperare domino? Et videtur tibi adhuc servus esse qui imperat? M. E. Non admodum mihi videtur, ô Socrates. S. O. Non scilicet verisimile est, ô optime. Adhuc enim etiam hoc considera: Imperare posse dicis. Non apponemus hoc justè, nō autem injustè? M. E. Ego quidem arbitror. Nam iustitia, ô Socrates, virtus est. S. O. Vtrum virtus, ô Menon, aut quædam virtus? M. E. Quomodo hoc dicis? S. Velut de alio quocunque, ut exempli causa de rotunditate dicerem ego, quòd figura quædam est, & non ita simpliciter, quòd figura. Propterea verò ita dicerem, quòd etiã aliæ figuræ sunt. M. E. Rectè sanè tu diceres. Nam & ego dico, non solum iustitiam, sed etiam alias virtutes esse. S. O.

Quas

Quas istas dicito, velut etiam ego tibi dicerem alias figuras, si juberet, ita tu etiam mihi dicito alias virtutes. ME. Fortitudo itaque mihi videtur virtus esse, & temperantia, & sapientia, & magnificentia, & multa alia. SO. Rursus, ô Menon, idem nobis accidit. Vnam enim quærentes multas virtutes invenimus, sed alio sanè quàm antea modo. At unam quæ per omnes has diffusa est, invenire non possumus. ME. Nò enim adhuc possum, ô Socrates, velut tu quæris unam in omnibus virtutem comprehendere, quemadmodum in aliis. SO. Et meritò sanè. At ego quantum potero, nos ducere conabor. Intelligis enim ita in omnibus rem se habere. Si quis interrogaret ex te hoc, quod nunc ego dicebam, quid est figura, ô Menon, si ipsi respondisses, Rotunditas: & ille rursus interrogaret velut ego, Vtrum figura est rotunditas, aut quædam figura, dicerésne, quòd quædam sit figura? M. Maximè. S. Nónne propterea, quòd etiã aliæ sunt figuræ? ME. Etiam. SO. Et si insuper interrogasset, quales dixisses utique? ME. Ego sanè. S. Et rursus de colore, si eodè modo interrogaret quid sit, & tu dixisses, Album, & ille postea subiecisset, Vtrum album color est, aut quidam color, dicerésne, quòd quidam color, eò quòd etiã alii sint colores? M. Ita certè. S. Et si proferre juberet te alios colores, diceres etiã alios, qui nihilominus colores, sunt quàm albū. M. Etiã. S. Si igitur quemadmodum ego sermonè prosequeretur, & diceret, Semper ad multa devenimus, sed mihi non ita placet. Verùm quando

quodé multas has uno nomine appellas, & nullá ex ipsis esse dicis quæ nõ sit figura, & hoc, cum inter se sint cõtrarię: eo, quod sit hoc quod figuram nominas, id, quod nihilominus rotundũ, quã rectũ continet: Et nihilo magis rotundũ figuram, quã rectum esse dicis: Aut non ita dicis? M. Ego sanè. S. Nunquid igitur cum ita dicas, tunc nihilominus rotundum dicis esse rotundũ quã rectum, neq; rectũ magis rectum quã rotundum? M. Nõ profectò, ô Socrates. S. Atqui figuram nihilominus rotundum esse dicis, quã rectum: neq; alterum magis quã alterum. M. Vera dicis. S. Quid igitur sit hoc, cuius hoc nomen Figura est, dicere conare. Si igitur ita interroganti, aut de figura, aut de colore diceres: At neq; intelligo quod velis, ô homo, neq; novi quid dicas: Fortassis admiratus, dixerit, Nõ intelligis quod quæro, id quod in omnibus his idem est? Aut neq; de his dicere potes, ô Menon, si quis interrogaret, quid est, quod in rotundo, & recto, & in aliis quas figuras vocas, idem in omnibus est? Conare ut dicas, quo cõtingat tibi exercitatio ad respõdendũ de virtute. M. Nequaquam, sed tu ô Socrates dicito. S. Vis ut tibi gratificer? M. Maximè. S. Vis igitur & tu mihi de virtute dicere? M. Ego sanè. S. Conandum itaq; est: Æquum enim est. M. Maximè. S. Age itaque conabimur tibi dicere quid sit figura. Cõsidera igitur an hoc ipsam esse admittas. Sit enim nobis hoc Figura, quòd solũ ex omnibus rebus semper corpus sequitur. Satis tibi est, aut aliter quodãmodo quæris? Ego enim cõtentus essem,

essem, si ita mihi de virtute diceres. M. At hoc vile quiddam est, o Socrates. S. Quomodo dicis? ME. Quod figura est juxta tuam sententiam, id quod semper corpus sequitur. S O. Sit ita. ME. Si ergo quis corpus se nosse negaret, & similiter velut de figura ambigeret, quid putas a te responsum esse? S O C. Quæ vera sunt, ego responsa a me esse puto. Et si quidem ex sapiētibz quispiam esset, & contentiosus ac litigiosus, qui interrogaret, dicerē ad ipsum, A me quidē dictum est. Si verò non rectē dico, tuum nunc fuerit, ut sermonem accipias ac redarguas. Si verò quemadmodum nunc ego & tu, velut amici inter se disputare velint, mitius sanē quodammodo & magis dialecticè respōdere oportere. Est autem fortassis magis dialecticè, nō solum vera respondere, sed etiam per ea, quæ confiteatur se scire ac intelligere is, qui interrogat. Conabor itaque & ego tecū sic disputare. Dic enim mihi, Finē vocas quid tali significatione, velut extremum & ultimū? Omnia enim hæc idem dico. Fortassis autē Prodicus a nobis disenserit. At tu dicis finitum quid esse, & ad extremū ac terminū perductū esse? Tale quid dicere volo, nihil varii. M. Imò dico, & puto me intelligere quod dicis. S. Planū verò vocas quid, & aliud solidum, velut ea quæ in Geometria usurpantur. M. Ego sanē voco. S. Iam itaq; ex his intellexeris, quid dicā figuram. De omni enim figura hoc dico, figurā esse hoc, in quod solidū finit, quod sanē in sūma dixerim, figurā esse solidi finē. M. At colorē quid dicis, o Socrates? S.

Figurā semper sequi corpus.

Dialecticè semper dissendum & respōdendum & quid sit dialecticè respondere.

Figurā esse finem solidi.

Petulans es, ô Menon, viro seni respondendi negocia imponis. Ipse verò in memoriam revocare non vis, neque dicere, quidnam Gorgias virtutem esse dicit. ME. At postquam tu mihi hoc dixeris, ô Socrates, ego tibi dicam. SO C. Etiam si quis contectus sit, ô Menon, tamen te differente pulchrũ te esse cognoverit, & quòd adhuc amatores tibi sint. ME. Quid ita? SO C. Quia nihil aliud quàm imperas in sermonibus, id quod faciunt delicati, utpote tyrannidem exercentes, quandiu pulchritudo in ipsis durat. Et me fortassis simul cõtemnis, quòd pulchris istis inferior sum. Gratificabor igitur tibi & respondebo. ME. Maximè gratificare. SO. Visne igitur ut tibi secundum Gorgiam respõdeam, quomodo tu maximè assequi possis? ME. Volo. Quidni? SO. Nõne defluxiones quasdam rerum juxta Empedoclem dicitis? ME. Maximè. SO. Et meatus in quos, & per quos defluxiones procedunt? ME. Omnino. SO. Et ex defluxionib. alias quidem quibusdam meatibus congruere, alas verò majores, aut minores esse? M. Est ita. SO. Nõne & Visum quid vocas? ME. Ego sanè. SO. Ex his itaque intellige, quod dico, ait Pindarus. Est enim color defluxio figurarum visui congrua, & sensui exposita. M. Optimè mihi videris, ô Socrates, hanc responsionem protulisse. S. Fortassis enim juxta tuã consuetudinẽ tibi hæc prolata est, & simul, ut arbitror, intelligis, quòd ex hac dicere possis, & qd vox sit, & qd odor, & multa alia hujusmodi. M. Maximè. S. Tragica enim est, ô Menõ, respõsio.
Qua

*Color est de-
fluxio figu-
rarum sen-
sibilis.*

Quare magis tibi placet, quàm illa de figura.
 ME. Mihi profectò. SO. At non est, ò fili Alexi-
 demi, velut ego mihi persuadeo, sed illa melior.
 Arbitror autem neque te ita existimaturū esse,
 nisi quemadmodum heri dicebas, necessarium
 est te abire ante mysteria. Quare si permanse-
 ris, initiaberis. ME. At permanerem, ò Socrates,
 si multa hujusmodi mihi diceres. SO C. Atqui
 promptitudinis nihil omittam, ut & tuam in-
 gratiam, & propter me ipsum talia dicam, sed
 vereor, ne possim talia multa dicere. Quare age
 conare & tu præstare, quod promisisti, ut de
 virtute in universum dicas quid sit, & desine
 multa ex uno facere, quod cavillatores facere
 dicunt eos, qui semper amplius quid cōterunt.
 Quare totam & integram sine, & dic quid sit
 virtus. Exempla autem à me accepisti. ME. Vi-
 detur itaque mihi, ò Socrates, virtus esse velut
 poeta dicit, Gaudere pulchris, & posse: Et ego
 hoc virtutem dico, Pulchra cupere & compa-
 rare ea posse. SO C. Num dicis eum qui pulchra
 cupit, bona cupere? ME. Maximè. SO. Num ve-
 lut sint aliqui qui bona cupiunt: alii verò qui
 mala: non omnes videntur tibi, ò optime, bona
 cupere? ME. Non mihi. SO. Sed quidam mala?
 ME. Etiam. S. Num dicis quòd mala putēt esse
 bona: aut quum etiam cognoscant quòd mala
 sunt tamen ista cupiunt? ME. Vtrumque mihi
 videtur. S. Num videtur tibi quis, ò Menon, co-
 gnoscere mala, quòd mala sunt, & tamē cupere
 ipsa? ME. Maximè. S. Quid dicis cupere? Num
 cōtingere ipsi? M. cōtingere. Quid enim aliud?

*Virtus est
 concupiscen-
 tia pulchri.*

S. Num quòd putas mala, prodesse illi cui contingant: aut cognoscens, quod lædūt mala eum cui adsint? M. Sūt qui mala prodesse putāt: Sūt etiam qui cognoscunt quòd lædunt. So. Num etiam vidētur tibi cognoscere mala quòd mala sunt, hi qui mala prodesse putant. ME. Non admodum hoc mihi videtur. So. Nōne igitur manifestum est, quòd hi non cupiunt mala, qui ipsa ignorant, sed illa quæ bona esse putāt, sunt tamen mala? Quare qui ignorant ipsa, & bona esse putant, bona nimirum cupiunt: Aut non ita? ME. Ita de his videtur. S. Quid verò hi, qui mala cupiunt, velut tu dicis, putāt autem mala lædere illū cui cōtingant, cognoscūtne quòd ab ipsis lædentur? M. Necessè est. S. Atqui eos qui lædūtur non putāt hi miseros esse, in quantum læduntur? M. Et hoc necessè est. So. Miseros autem, non infelices? ME. Arbitror ego. S. Estne igitur qui miser & infelix esse velit? ME. Nō mihi videtur, o Socrates. S. Nemo ego vult mala, si quidem talis esse non vult. Quid enim aliud est miserum esse quàm cupere mala, eaq; adipisci? M. Videris vera dicere, o Socrates, & nemo vult mala. S o c. Nōne modo dicebas, virtutem esse, velle bona & posse? ME. Dicebā. So. Nōne ex hoc dicto, velle quidem omnibus adest. & hac parte alius alio nihilo melior est. ME. Apparet. So. Quare patet, si alius alio melior est, quod circa facultatem melior fuerit. ME. Maximè. So. Hoc igitur est, ut apparet secundum tuam sententiam, virtus facultas comparandi bona. ME. Penitus ita res se habere mi-

*Volūtatīs &
facultatis di
versa ratio.*

re mihi videtur, velut tu nunc putas. So. Videamus itaque, an hoc verum dicas, fortassis enim recte dicis. Bona comparare posse, virtutē esse dicis? M. Ego sanē. S. Bona vero nōne vocas, velut est sanitatem, & divitias, & aurum, & argentum adipisci, & honores ac magistratus in repub.? Num alia quaedam bona dicis, aut huiusmodi? M. Non alia, sed omnia huiusmodi dico. S. Sit ita. Aurum itaque & argentum adipisci virtus est, velut dicit Menon magni regis patrius hospes. Vtrum verò huic quæstui apponis, ô Menō, ut justē & sanctē fiat, aut nihil tua interest, sed etiam si quis injuste illa adipiscatur, similiter tu virtutem vocas? M. Nō ita, ô Socrates, sed vitium. S. Omnino itaq; huic quæstui ut apparet, justitiam aut temperantiā, aut sanctitatem, aut aliam quandam virtutis partem adesse oportet: sin minus, nō erit virtus, etiam si bona adipiscatur. M. Quomodo enim absque his virtus fuerit? S. At non adipisci aurum & argentum, quum non fuerit justum, neque sibi ipsi, neque alii, nōne & hæc inopia virtus est? M. Apparet. S. Nihilo ergo magis talium bonorū quæstus, quàm inopia virtus fuerit. Sed, ut apparet, quòd cum justitia fit, virtus erit: quod verò absque omnib. talibus, vitium. M. Videtur mihi necessarium esse velut dicis. S o c. Nōne singula hæc paulò prius virtutis partes esse diximus, justitiam, & temperantiam, & omnia huiusmodi? M e. Etiam. S o c. Deinde, ô Menon, mihi illudis? M e. Quid ita, ô Socrates? S o c. Quia quum ego te precatus sim,

J
B
C
E
E
C
Z
P
F
78

*Virtutis de-
finitio par-
tialis siue spe-
cialis impro-
batur. Justitia enim spe-
ies est vir-
utis: Ergo
et hanc vir-
us defini-
equit.*

*Cognitio to-
tius semper
quàm par-
tium prior.
Intellige me-
thodum pro-
cedere ab
universali-
bus ad par-
ticularia.*

ut non confringeres, neque in frustra virtutem
secares: & exempla dederim juxta quæ respon-
dere oporteret, hoc quidē neglexisti, dicis au-
tem mihi, virtutem esse bona comparare posse
cum justitia. Hanc autem virtutis partem esse
dicis. ME. Ego sanè. SO. Nōne ex his quæ tu
confiteris, sequitur, cum virtutis parte facere
quicquid quis facit, hoc virtutem esse? Justitiā
enim virtutis partem esse dicis, & singula hæc?
MENON. Quid tuū postea? Hoc dico. SO C.
Quia quum precatus sim, ut totam dicas virtu-
tem, multum abest, ut tu quid sit, dixeris, Om-
nem verò actionem virtutem esse dicis, si cum
virtutis parte peragatur, velut si dixisset, quid
sit virtus tota, & jam ego cognoscere possim,
etiam si tu ipsam in frustra seces. Eadem igitur
interrogatione tibi, chare Menon, rursus ab i-
nitio opus est, quid sit virtus: aut cum parte vir-
tutis omnis actio, virtus fuerit. Hoc enim dicit
quis quū dicit, quòd omnis cum justitia actio
virtus est. Aut non videtur tibi rursus eadem
interrogatione opus esse? Sed putas aliquem
nosse virtutis partem, qui quid ipsa sit non no-
vit? ME. Non mihi videtur. SO. Si enim memi-
nisti ea quæ ego paulò antea de figura respon-
debam, rejecimus sanè hujusmodi responsio-
nem, quæ per ea de quibus adhuc quæstio est,
& nondum concessa sunt, respondere aggredi-
tur. ME. Et rectè rejecimus, ô Socrates. SO. Ne-
que itaque, ô optimè, dum adhuc de virtute to-
ta quæstio est, quid sit, putas te per hujus par-
tes respondendo cuicunque ipsam declaratu-
rum

rum esse, aut etiam aliud quidvis eodem hoc modo dicendo: sed rursus eadem interrogatione opus habere, quidnam sit virtus, de qua dicis ea quę dicis. Aut nihil dicere tibi videor? M. Recte dicere mihi videris. S. Responde itaque rursus ab initio, quid tu & amicus tuus virtutē esse dicatis. M. Audivi equidē, ō Socrates, prius quā tecum congrederer, quod tu nihil aliud quā & ipse ambigas, & alios ambigere facias, & nūc ut mihi videris me decipis, & præstigiis uteris, & denique me incantas, ut plenus ambiguitatis fiā. Et videris mihi penitus, si quid ludere oportet similimus esse & specie, & reliquis Torpedini illi latę marinę. Nā hæc quoque appropinquāti & tangenti torporē inducit. Et tu nūc mihi tale quid induxisse videris, ut torpeā. Revera enim ego & anima & corpore torpeo, & quod respondeam tibi, non habeo, etiam si milles de virtute multas orationes, & ad multos & admodum recte, ut mihi visus sum, habuerim. Nunc autem neque quid sit, omninō dicere possum. Et mihi videris recte tibi consulere, quod hinc navi non abis, neque peregrē proficisceris. Si enim peregrinus in alia civitate talia faceres, fortassis velut præstigiator abducereris. S. Versutus es, ō Menon, & ferē me decipisses. M. Quamobrem maximē, ō Socrates? S. Cognosco cujus gratia me assimilasti. M. Cuius itaque putas? S. Vt te vicissim assimilarem. Ego verō hoc de omnib. pulchris novi, quod assimilari gaudent. Conducit enim ipsis. Pulchrę enim, arbitror, sunt etiam pulchrorum si-

Omniū rerum explicatio, debet fieri per notiora, & per cōcessa.

Torpedo appropinquantibus torporē inducit.

militudines. At non vicissim te assimilabo. Ego verò, si quidem torpedo ipsa torpens, sic etiam alios torpere facit, ipsi similis sum: sin minus, non. Non enim ipse abundans, alios ambigere facio: sed ipse quovis magis ambiguus, sed etiã alios ambigere facio. Et nũc de virtute, quid sit, ego quidem non novi, tu tamen fortassis prius quidem noveras, antea quã me contingeres. Nunc autem similis es nescienti. Attamen unã tecum considerare volo, & quærere, quid sit. M. Et quomodo quæreres, ò Socrates, hoc, quod penitus nõ nosti, quid sit? Quale enim ex his quæ non nosti proponens quæreres? Aut si etiã quã maximè in ipsũ incidas, quomodo scies, quòd hoc est, quod tu non noveras? S O C. Intelligo quid dicere velis, ò Menon. Vides quòd contentiosum hunc sermonem inducis? Quod nõ detur homini quærere, neque quod novit, neque quod non novit. Neque enim quod novit, quæsierit: (Novit enim, & nihil opus est ad tale inquisitione) neque quod nõ novit. Non enim novit, quid quæreret. M E. Nõne rectè tibi videtur dici hic sermo, ò Socrates. S O C. Non mihi. M E. Habesne quod dicas, cur non? S O. Ego fanè habeo. Audivi enim ex viris & mulieribus divinarum rerum peritis. M E. Quem illi sermonem dicebant? S O C. Verum, ut mihi videtur, & pulchrum. M E. Quem istum? Et qui sunt qui dicunt? S O C. Qui dicunt, sunt utriusque sexus sacerdotes, quibus studium fuit, ut de his quæ tractant, rationem reddere possint. Dicit item Pindarus, & alii multi Poetæ, qui divini sunt.

*Noscendi &
quærendi ratio.*

funt. Quæ verò dicunt hæc sunt. Quare vide, an vera dicere tibi videantur. Dicunt enim animam hominis esse immortalem, & nunc quidē desinere, quod sanè mori vocāt: nunc verò rursus fieri: Interire autem nunquam. Oportere itaque ob hæc sanctissimè vitam transigere. De quibus enim Proserpina pœnas antiqui luctus sumpsit, illorum animam rursus nono anno in supernum Solem reddit, ex quibus reges clari, & robore præstantes, & sapientia maximi viri auferunt. In reliquum verò tempus Heroes sancti ab hominibus vocantur. Anima igitur, ut quæ immortalis sit, & sæpe renata, & quæ sæpe viderit, & quæ hic sunt, & quæ apud inferos, & omnes a deo res, nihil reliqui habet quod nō didicisset. Quare nihil miri est etiam de virtute & aliis, ipsam in memoriam revocare posse ea quæ prius novit. Quum enim natura tota cognata sit, & anima omnia didicerit, nihil vetat uno solum revocato in memoriam, quod sanè discere & disciplinam homines vocant, alia omnia ipsum invenire, si quis virilis sit, & quærendo non defatigetur. Quærere ergo & discere in totum recordatio est. Nequam igitur contentioso illi sermoni fidem habere oportet. Ille enim nos segnes fecerit, & mollibus hominibus jucundus auditu est. At hic ad laborem, & ad quæredum industrios facit, quem ego verum esse credens, unà tecum quærere volo, quid sit virtus. MENON. Etiam, ô Socrates. At simpliciter dicis hoc, quod non discimus, sed quàm vocamus disciplinã, recor-

Anima hominum immortalis, ideoque vita sanctissimè transigenda.

Omnia natura sibi tota cognata.

Discere est in memoriã revocare.

patio est. Potésne me docere, quòd hoc ita se habet? S. Et modò dicebam, versatum te esse, Menon, & nunc interrogas, an docere possim te, qui disciplinam esse nego, sed esse recordationem dico, quo statim ipse mihi ipsi contraria dicere videar. M. Non per Iovem, ô Socrates, ad hoc respiciens dicebam, sed ex consuetudine. Quare, si quomodo judicare mihi potes, ita re habere velut dicis, indica. S. At non est facilè, in tuam tamen gratiam conari volo. Quare accersere mihi ex multis tuis istis pedisequis unum quemcunque volueris, ut in hoc tibi ostendam. M. Maximè. Ades huc puer. S. Græcus est, & græcè loquitur? M. Admodum valde, dominatus.

*Illustratio
recordatio-
nis ab exem-
plis.*

So. Animum itaque advertè, utrum tibi videatur, in memoriam revocare aut à me discere. M. Imo advertam. S. Dic itaque mihi, ô puer, cognoscis quadrangulum spacium tale esse? Puer. Ego sanè. S. Est igitur quadrangulum spacium, quod has omnes quatuor lineas æquales habet? P. Maximè. So c. Nonne etiam has quæ per medium tendunt, æquales habet? P. Etiam. So c. Nonne esse poterit hujusmodi spacium & majus & minus? P. Maximè. S. Si igitur esset hoc latus duorū pedum, & hoc duorum, quot pedum esset totum? Sic autem considera. Si in hoc latere duorū pedum esset, in illo verò unius solū pedis, aliud quid, quàm semel duorum pedum esset spatium? P. Etiam. S. Postquam verò duorum pedum, & in illo latere est, aliud quid quàm bis duorum pedum spatium

spaciū fit? P. Fit. S. Duorū ergo pedū bis fit? P.
 Etiam. S. Quot igitur sunt bis duo pedes? Sup-
 putatione facta dicito. P. Quatuor, ô Socrates.
 S. Nōne fieri possit aliud hujus spacii duplum
 ejusmodi, quod omnes lineas æquales habeat,
 quemadmodum hoc? P. Etiam. S. Quot igitur
 erit pedum? P. Octo. S. Age itaque conare mihi
 dicere, quanta erit una quæque illius linea. Hu-
 jus enim linea duorum pedum est. Quanta ve-
 rò illa illius dupli? P. Manifestum est, ô Socra-
 tes, quod dupla. S. Vides, ô Menon, me nihil ho-
 rum docere, sed omnia interrogare? Et nunc
 hic putat se scire, quāta fit linea, à qua spatium
 octo pedum efficietur. Aut non tibi videtur?
 M. Mihi sanè. S. Novit igitur? M. Non ita. S. Pu-
 tat autem à dupla? M. Etiam. S. Vide itaque ip-
 sum deinceps recordantem, velut recordari o-
 portet. Tu verò mihi dicito. A dupla linea du-
 plex spacium fieri dicis: tale dico, nō quod hoc
 latere longum sit, illo breve: sed æquale undiq;
 sit velut hoc, at duplum hujus, octo pedum.
 Verum vide, an adhuc à dupla fore tibi videat-
 ur. P. Mihi sanè. S. Nōne dupla hujus hæc fit,
 si aliam tantam hinc apponamus? P. Maximè
 S. Ab hac itaque dicis fore spatiū octo pedum,
 si quatuor tantæ fiant? P. Etiam. S. Describa-
 mus itaque ab ipsa æquales quatuor lineas, a-
 liūdne quid quàm hoc fuerit, id quod octo pe-
 dum esse dicis? P. Maximè. S. o. Nōne in ipso
 sunt hæc quatuor, quorum quodlibet æquale
 est huic quadrupedali? P. Etiam. S. o. Quantum
 igitur fit? Nōne quater tantum? P. Quid ni? S.

*Quadranguli
 li spacii æ-
 claratio.*

Duplum igitur est, id quod quater tantum est?
 P. Nō per loquem. S. At quotuplum? P. Quadruplum. S. A dupla ergo, o Puer, non duplum, sed quadruplum fit spatium. P. Vera dicis. S. Quatuor enim quater sunt sedecim nimirum. Nōne? P. Etiam. S. Octo pedum verò à qua linea? Nōne ab hac quidem quadruplum? Pu. Ita sentio. S. Quadrupedale verò hoc ab hujus dimidia? Pu. Etiam. S. Sit ita. Octo pedum verò spatium, si hujus quidem duplum est, hujus sesquialterum, Nōne à majore quidem quàm hac tanta linea erit, à minore verò quàm illa tanta? Aut non ita? Pu. Mihi quidem ita videtur. S. O c. Rectè. Quod enim tibi videtur, hoc responde: Et dic mihi, Nōne hæc quidem duorum pedum erat, illa verò linea quatuor? Pu. Etiam. S. O c. Oportet ergo sex pedum spatii lineam, majorem quidem esse bipedali, minorem verò quadrupedali. Pu. Oportet. S. O c. Conare itaque dicere quantam ipsam esse censes. Pu. Tripedalem. S. O c. Nōne si quidem tripedalis est, dimidium hujus assumemus, & erit tripedalis, duo quidem hi pedes, unus autem ille: & illinc eodem modo: duo quidem hi, unus autem ille: & fit hoc quod dicis spatium. Pu. Etiam. S. O c. Nōne si ab hoc latere trium pedum fuerit, & ab illo trium, totum spatium bis trium pedum fit? P U E R. Apparet. S. O c. Ter autem tres quot sunt pedes? P U E R. Novem. S. O c. Duplum verò quot pedum esse oportuisset? Pu. Octo. S. O c. Non ergo à tripedali linea fit spatium octo pedum? P U E R. Non
 ita

Ita. SO C. At à qua conare nobis exactè ducere:
 & si non vis numerare, saltem ostende, à qua.
 PU. At per Iovem, ô Socrates, ego non novi.
 SO C. Intelligis rursus, ô Menon, quò sit hic re-
 cordando progressus? Nam primum quidem
 non noverat, quæ esset octo pedum spacii li-
 nea, quemadmodum neque adhuc nunc no-
 vit: Sed tunc putabat hanc se nosse, & confiden-
 ter respondebat, velut qui nosset, & non puta-
 bat se ambigere. Nunc autem ambigere se pu-
 tat, & quemadmodum non novit, neque nosse
 se putat. MEN. Vera dicis. SO CRA. Non-
 ne nunc melius se habet circa rem, quàm non
 noverat? MEN. Et hoc mihi videtur. SO C.
 Quum igitur ambigere ipsum fecerimus, &
 torpere, quemadmodum Torpedo, nunquid
 læsimus? ME. Non mihi videtur. SO C. Operæ
 prætii itaque quiddam fecimus, ut apparet,
 ad inveniendum quomodo res se habet. Nunc
 enim libenter quæret, ut qui non novit: tunc
 autè facilè & ad multos & sepe putabat se rectè
 dicere de duplo spacio, quod duplam longitu-
 dine lineam habere oporteret. M. Apparet. SO.
 Putas igitur prius ipsum aggressum esse, quæ-
 rere aut discere, hoc quod putabat se nosse, quum
 nō nosset, antea quàm in ambiguitatè incidit,
 ratus se non nosse, & nosse desideravit? M. Non
 mihi videtur, ô Socrates. S. Utilitatem ergo à
 torpore cœpit. M. Mihi videtur. S. Cûsidera ita-
 què ex hac ambiguitate, quòd etiam inveniet
 unà mecum quærens, nihil aliud quàm me in-
 terrogante, & non docente. Observa autem si

*Torpedinis
 vis & qua-
 litas.*

fortè comperias me docentem & ipsi exponen-
 tem, & non ipsius opiniones percunctantem.
 Dic enim tu mihi. Nónne hoc quidem quadru-
 pedale nobis spacium est? Intelligis? P. Ego sa-
 nè. S. Alterum autem ipsi apponamus hoc æ-
 quale. P. Etiam. S. Et tertium hoc æquale utri-
 que illorum. P. Etiam. S. Nónne insuper exple-
 bimus hoc in angulo? P. Maximè. S. Aliúdne
 igitur quid fieri poterit, quàm quatuor hæc æ-
 qualia spacia? P. Etiam. S. Quid igitur? totum
 hoc quotuplum hujus fit? P. Quadruplum. S.
 Oportebat autem duplum nobis factum esse.
 Aut non meministi? P. Maximè. S. Nónne hæc
 linea ex angulo in angulum tendens, unum-
 quodque ex his spaciis bifariá secat? P. Etiam.
 S. Nónne quatuor hæc sunt lineæ æquales hoc
 spacium comprehendentes? P. Fiunt. S. Consi-
 dera igitur, quantum est hoc spacium. P. Non
 intelligo. S. Nónne quum quatuor hæc sint, di-
 midium uniuscujusque unaquæque linea in-
 tus discidit? Aut non ita? P. Etiam. S. Quot igi-
 tur tanta in hoc insunt? P. Quatuor. S. Quot ve-
 rò in hoc? P. Duo. S. Quatuor autem ad duo
 quid sunt? P. Dupla. S. Hoc igitur quot pedum
 fit? P. Octo. S. A qua linea? P. Ab hac. S. Ab ea,
 quæ ex angulo in angulum quadrupedalis spa-
 cii tendit? P. Etiam. S. Vocant autem hanc li-
 neam Sophistæ Diametrum. Quare, si huic no-
 men est diameter à diametro, velut tu, ô puer
 Menonis, dicis, duplum fit spaciū. P. Maximè,
 ô Socrates. S. Quid tibi videtur, ô Menon? Est
 aliqua opinio, quam hic non ex se ipso. S o c.
 Et ta-

*Diameter
 & ejus po-
 restas.*

Et tamen non noverat paulò antea, velut diximus. M. Vera dicis. Erant autem in ipso hæ opiniones: aut non ita? M. Etiam. S. In eo ergo, qui non novit, de quibus non novit. veræ opiniones sunt de his, quæ non novit. M. Apparet. S. Et nunc quidem ipsi velut per somnium commotæ sunt hæ opiniones. Si verò quis ipsum sepe & multis modis de iisdem percunctabitur, scias quòd tandem nullo minus exactè de his sciet. M. Apparet. S. Nonne ita ut nemo docuerit, sed saltem interrogaverit, sciet, repetens ipse ex se ipso scientiam? M. Etiam. S. Repetere autem ipsum in seipso scientiam, nonne recordari est? M. Maximè. S. Nunquid igitur scientiam quàm nunc hic habet, aut accepit aliquando, aut semper habuit? M. Etiam. S. Nonne si quidem semper habuit, semper etiam sciens fuit? Si verò aliquando accepit, non sanè in hac vita accipere potuit: Aut docuit quis hunc Geometrica? Hic enim faciet eadem hæc de tota Geometria, & de omnibus aliis disciplinis. Estne igitur qui hunc omnia docuit? Æquum enim est te nosse, tum aliàs, tum quod in domo tua natus atque educatus est. M. At novi ego, quòd nemo unquam hunc docuerit. S. Habet autem has opiniones, aut non habet? M. Necesse est, ô Socrates. S. Si verò non in hac vita adeptus hæc novit, manifestū est quod in alio quodam tempore habuit & didicit. M. Apparet. S. Nonne est hoc tempus, quando non erat homo? M. Etiam. S. Si igitur quo tempore erat, aut etiam quo non erat homo, erunt in ipso opiniones ve

*Recordari
est repetere
scientiam.*

ræ, quæ interrogationib. excitatę fiunt sciētia: Nunquid per omne tempus anima ipsius didicit? Clarum enim est, quod per omne tempus est, aut nō est homo. M. Apparet. S. Nonne si veritas rerum semper est nobis in anima, immortalis sanè fuerit anima? Quapropter confidēter oportet te, id quod nūc nō scis, hoc est, id quod non recordaris, quærere & ad memoriam revocare conari. M. Rectè mihi, non scio quomodo, dicere videris, ô Socrates. S. Nam & ego mihi, ô Menon, & de aliis quidem in sermone relatis non admodum asseverarim. Quod verò si quærere oportere putaremus, ea quæ quis non novit, meliores essemus & viriliores & minus pigri, quàm si putaremus fieri non posse, ut inveniamus, neque quærere oportere, ea quæ nō scimus: de hoc sanè pertinaciter & sermone, & re ipsa, si possem, contenderim. M. Et hoc mihi dicere videris, ô Socrates.

*Quærenda
esse ea quæ
quis non no-
vit.*

S. Vis ne igitur, ut quando quidem de quærēdo ea, quæ quis non novit, consentimus, in cōmuni quid sit virtus, quærere aggrediamur? M. Maximè. Attamen ego illud quod primum interrogabam libentius & cōsiderarim & audierim, utrum velut rem quę doceri possit aggredi ipsam oporteat, aut velut natura, aut aliō quodā modo virtus hominib. accedat. S. Ac si quidem ego imperarem, ô Menon, non solūm mihi, sed etiā tibi, non sanè prius consideraremus, doceri ne virtus posset, aut non, sed primū quid sit quęsivissemus. Quando quidē verò tu tibi quidem imperare ne attētas quidē, quo
videli-

videlicet liber sis: mihi verò imperare conaris & imperas, concedam tibi. Quid enim facere oportet? Videtur igitur considerandū esse quale sit quòd nondum scimus quid sit. Si igitur nō aliud, parū saltem mihi imperiū laxa, & permitte, ut ab exemplo hoc ipsum considerem, an ex doctrina, aut quocunque alio modo virtus cōtingat. Dico autē ab exēplo hoc modo. Quemadmodum Geometræ sæpè considerant postquā quis ipsos interrogavit velut de spacio, an fieri possit ut in hunc circulum hoc triangulare spacium extendatur: dixerit sanè quis, Nondum novi an sit hoc tale, sed velut exemplo quodam ad hanc rem opus habere me puto huiusmodi: Si quidem est hoc spacium tale, ut ad datam ipsius lineam extendenti deficiat tanto spacio, quantum ipsum quod extensum est fuerit, aliud quid contingere mihi videtur, & rursus aliud, si fieri non potest, ut hæc patiatur. Re igitur proposita, dicere tibi volo, quid contingat de extensione ipsius in circulū, an fieri possit, aut non. Sic sanè etiam nos de virtute, quando quidem nō scimus neque quid sit, neq; quale sit, proposita re ipsa consideremus, an doceri possit, aut non, in hunc modū dicētes: Si quale est quiddā virtus, ex his quæ circa animā sunt, doceri poterit, aut non doceri. Primū quidem, si est aliud quàm quale est scientia, num doceri poterit, aut non: aut velut modo dicebamus, in memoriam revocari? Nihil autem differat apud nos, utro verbo utamur: Num ergo doceri potest? Aut hoc cuivis patet, quod homo nihil

*Alia pars est
Dialogi, quo
modo virtus
comparari
possit.*

aliud docetur, quàm scientiam? M. Mihi sanè videtur. S. Si verò virtus est scientia quædam, nimirum doceri poterit. M. Quidni? S. Ab hoc ergo brevi liberati sumus. Nam si talis est, doceri potest: Si non talis, non potest. M. Maximè.

S. Post hoc itaque, ut apparet, considerare oportet, utrum virtus sit scientia, aut aliud quid à scientia. M. Mihi sanè videtur, hoc post illud considerandum esse. S. Quid verò aliud quàm bonum esse virtutem dicimus? Et hæc propositio nobis manet, bonum ipsam esse. M. Maxime. S. Nónne siquidem est quoddam bonum, etiam aliud à scientia separatum, fortassis non fuerit virtus scientia quædam. Si verò nihil est bonum, quod non scientia comprehenditur, si scientiam quandam ipsam virtutem esse suspicemur, rectè suspicamur? M. Est ita. S. Sed & virtute boni sumus? M. Omnino. S. Si verò boni, utiles. Omnia enim bona utilia sunt. Nónne? M. Etiam. S. Et virtus itaque utile est. M. Necessè est ex concessis. S. Consideremus itaque singulatim repetentes. quæ sint ea quæ nobis utilia sunt: Sanitas dicimus, & robur, & pulchritudo, & divitiæ: hæc & huiusmodi utilia dicimus. Nónne? M. Etiam. S. Eadem verò hæc dicimus aliquando etiam nocere. Num tu aliter dicis, aut sic? M. Non, sed sic. S. Considera quid singula hæc præcedat, ut nobis profint: & quid ut noceant. Nónne quum rectus usus præit, profunt: quum non, nocēt? M. Maximè. S. Adhuc itaque etiam ea quæ circa animam sunt, cōsideremus. Temperantiam quid vocas, & iustitiam,

tiam, & fortitudinem, & docilitatem, & memoriam, & magnificentiam, & omnia hujusmodi? M. Ego sanè. S. Considera itaque quæ ex his videntur tibi non esse scientia, sed aliud à scientia. Nónne aliquando nocent, aliquando profunt? velut fortitudo, si non est sapientia, sed velut confidentia quædam: nónne, quum absque intelligentia confidit homo, læditur: quum verò cum intelligētia utilitatem capit? M. Etiam. S. Nónne etiam temperantia eodem modo, & docilitas, si cum intelligentia & discantur & parentur, utilia sunt: absque intelligentia verò damnosa? M. Admodum valdè. S. Nónne in summa, omnes animæ aggressiones & tolerantia, præeunte quidem sapientia, in felicitatem desinunt: desipientia verò in contrarium? M. Apparet. S. Si ergo virtus aliquid ex his quæ in anima sunt existit, & necessarium est ipsum utile esse, sapientiam ipsum esse oportet: quandoquidem omnia quæ circa animã sunt, ipsa quidem per se ipsa neque utilia, neque dånosa sũt: accedente verò sapientia aut insipientia, damnosa & utilia fiunt. Secundum hanc itaque rationem quum utilis sit virtus, sapiētiam quandam esse oportet. M. Mihi videtur. S. Sed & alia quæ modo dicebamus, divitias & hujusmodi, aliquando bona, aliquando damnosa esse: Nunquid quemadmodum si sapientia reliquæ animæ præit, utilia ea quæ sunt animæ facit: si insipientia, damnosa. Sic etiam, si his anima rectè utitur & præit, utilis ipsa facit: si non rectè, damnosa? M. Maximè. S. Rectè autem præit, quæ sa-

piens est: non rectè quæ insipiens. ME. Est ita.
 S. Nónne sic de omnibus dicere licet, hominĩ
 quidem alia omnia ab anima pendere: quæ ve-
 rò sunt animæ ipsius, à sapientia, si bona esse de-
 beant? Et hac ratione sapientia fuerit id quod
 utile est. Diximus autem virtutem utilem esse.
 M. Maximè. S. Sapientiam ergo dicimus virtu-
 tem esse, aut universam, aut partem quandam.
 M. Rectè dici hæc mihi videntur, ô Socrates.
 So. Nónne si hæc ita se habent, boni natura esse
 non poterunt? M. Non mihi videtur. S. Etenim
 si natura boni fierent, etiam hoc contingeret.
 Essent sanè nobis, qui bonos natura juvenes co-
 gnoscerèt, quos nos ex illorũ judicio assũptos
 custodiremus in arce, multo magis obfirmatos
 quàm aurum, ut nemo ipsos corrumpere, sed
 ubi ad etatem pervenirèt, civitatibus utiles fie-
 rent. M. Verisimile est equidem, ô Socrates. S.
 Quandoquidem verò natura boni non fiunt,
 nunquid disciplina? M. Videtur mihi já necessa-
 rium esse, & manifestũ, ô Socrates, juxta propo-
 situm, si quidem virtus scientia est quod doceri
 potest. S. Fortassis per Iovem. Sed nũquid hoc
 non rectè concessimus? M. Atqui videbatur su-
 præ rectè dici. S. At non solum suprà oportebat
 ipsum rectè dici videri, sed etiam nunc & in po-
 sterũ, si quid sani in ipso esse debet, M. Ad quid
 igitur respiciens perturbaris, & virtutẽ scientiã
 esse non credis? S. Ego tibi dicã, ô Menon, quod
 equidem doceri possit, si quidem scientia est,
 hoc rectè dici non retracto: quod verò scientia
 sit, considera, an merito diffidere tibi videar.

Hoc

*Boni natura
 nulli sunt.
 Ratione præ-
 cedentis.*

Hoc enim dic mihi, si doceri potest, quæcunque res, non solùm virtus, nõne necessarium est ipsius & doctores, & discipulos esse? M. Mihi sanè videtur. S. Nõne contrà, cujus neque doctores, neque discipuli fuerint, si rectè de ipso conjectaverimus, id doceri non posse conjectabimus? M. Est ita. At virtutis doctores non esse tibi videntur? So. Sæpè profectò quærens an sint aliqui ipsius doctores, & omnia faciens, invenire non possum, etiamsi cum multis, & maximè his quos hujus rei peritissimos esse puto, quæram. Et sane etiam nunc commodè hic ipse assidet, quem quæstionis participem faciamus. Meritò autem hoc fecerimus. Hic ipse enim primum quidem natus est ex patre divite ac sapiente Anthemione: qui dives fuit non ex casu temerario, neque ex alicujus largitione, quemadmodum nuper Ismenias Thebanus, qui Polycratis opes accepit, sed sua sapientia ac diligentia divitias adeptus est. Deinde etiam in aliis non superbus civis visus est, neque fastuosus & cuiquam gravis, sed moderatus & frugalis vir. Postea hunc bene educavit & instituit, velut Atheniensium populo videtur, qui maximos magistratus ipsi defert. Iustum itaque est cum talibus quærere de virtute, an sint ipsius doctores, aut non, & qui nã isti. Tu igitur Anyte una nobiscum quære, mecum & cū hospite tuo Menone, de hac re, quinam sint isti doctores. Sic autem considera. Si velimus Menonè hūc bonū medicū evadere, ad quos doctores ipsū mitteremus? Nõne ad medicos? A. Mz.

ximè. S. Quid verò, si sutorem bonum fieri velimus, nonne ad sutores? A. Etiam. S. Et de aliis eodem modo? A. Maximè. S. Sic itaque mihi rursus de iisdem dic. Si hunc ad medicos mitteremus, dicimus, rectè mitteremus si medicum fieri velimus: Nunquid quum hoc dicamus, istud dicimus, quòd sapienter fecerimus, si ad hos ipsum potius mittamus qui artem sibi vendicant, quàm ad eos qui non: & qui mercedem exigunt, hoc ipso declarantes se esse doctores, si quis accedere & discere velit? Nonne ad hæc respicientes rectè miserimus? A. Sic opinor. S. Nonne etiam de tibicinum arte, & aliis eodem modo? Magna dementia esset, si aliquem tibicinem facere velimus, ad eos quidem qui profitentur artis doctrinam, & mercedem exigunt, mittere nolimus: aliis verò quibusdam negotia exhibeamus, ut ab illis discat, qui neque doctores se esse profitentur, neque est ullus ipsorum discipulus hujus disciplinæ, quam nos ab ipsis discere volumus, eum quemcunque tandem miserimus? Nonne magna absurditas esse tibi videtur? A. Etiam per Iovem, mihi etiam insania insuper esse videtur. S. Rectè dicis. Nunc itaque licet tibi mecum in communi de hospite hoc Menone deliberare. Hic enim, ô Anyte, dudum ad me dicit, se hanc sapientiam & virtutem cupere, qua homines & privatas domos, & respublicas rectè gubernant, & parètes suos colunt, & cives & externos tum excipere, tum dimittere sciunt, prout dignum est bono viro. Ad hanc igitur virtutem comparandam, considera,

dera, ad quos nam rectè ipsum miserimus: aut manifestum est juxta superiorem sermonem, quòd ad eos, qui profitentur se esse virtutis doctores, & qui se in communi omnibus Græcis exponunt qui discere volūt, mercedem hujus gratia statuentes & exigentes? A. Et quos nam dicis hos, ò Socrates? S. Nosti sanè etiam tu esse hos, quòs homines vocant sophistas? A. Hercules, bona verba quæso, ò Socrates. Neminem ex cognatis, aut familiaribus, aut amicis, aut civibus, aut externis tanta insania corripiat, ut ad hos accedat & perdatur. Nam hi manifesta pestis ac perniciës sunt eorum, qui cum ipsis conversantur. S. Quomodo dicis, ò Anyte? Num hi soli ex his, qui beneficio afficere se nosse profitentur, tantum ab aliis differunt, ut non solū non profint, velut alii, si quis ipsis aliquid committat, sed etiam contrà corrumpant, & horum gratia palam pecunias exigant? Ego igitur non scio quomodo tibi credam. Novi enim unum virum Protagoram plures pecunias ex hac sapientia adeptum, quàm Phidiam, qui adeò insigniter pulchra opera fecit, & decem alios statuarios. Quanquam monstri simile dicis, si hi, qui calceos veteres reficiūt, & vestes resarciūt, per triginta dies latere non possunt, si peiores reddiderunt quàm acceperunt tum vestes tum calceos: Imò si talia fecerint, fortassis fame perierint. Protagoras autem totam Græciam fefellit, dum conversantes cum ipso corrupit, & supra quadraginta annos deteriores dimisit quàm assumpsit. Arbitror enim ipsum mortuū

Sophista pestis ac perniciës reipublicæ.

esse septuaginta ferè annos natum, quadraginta
ta verò artem professum. Et per omne hoc tē-
pus in hūc usque diem existimatio ipsius non
cessavit. Et non solum Protagoræ, sed etiā aliis
multis, qui partim ante illum fuerunt, partim
adhuc nunc sunt, ita res successit. Vtrum igitur
juxta tuam sententiam, scientes ipsos deci-
pere ac perdere adolescentes dicemus, aut fal-
lere etiam seipsos, & sic insanire judicabimus
hos, quos aliqui sapientissimos mortalium esse
dicunt? A. Multum abest ut insaniant, ô Socra-
tes, sed multo magis adolescētes qui illis pecu-
niam dant: Et his adhuc magis, horum cognati
qui id ipsis permittunt: longè omnium verò
maximè reipub. qui ipsos recipiunt, & non ex-
pellunt, sive externus quispiam, sive civis tale
quid facere aggreditur. S. Vtrum verò injuria
affecit te aliquis Sophistarū, ô Anyte, aut cur
ita ipsis succēses? A. Per Iovem neque ego un-
quam cum ullo ipsorum congressus sum, neq;
alium quempiam meorum permiserim. S. Nul-
lam igitur de viris experientiam habes? A. Et
utinam ne experiar. S. Quomodo igitur scire
poteris, ô beate, de hac re, an quid boni aut ma-
li in se habeat, cujus nullam experientiam ha-
bes? A. Facile: hos itaque novi qui sint, sive ex-
perientiam habeo, sive non habeo.

S. Vates fortassis es, ô Anyte: nam mirum fit,
quomodo aliàs nosses de his quæ ipse dicis. At
enim non hos quærimus qui sint, ad quos Me-
non accedens malus fiat. Hi enim, si ita vis, sint
Sophistæ. Sed illos dic nobis, & paternū hunc
amicum

*Sophistæ ci-
vitatibus ex-
pellendi.*

*Nihil teme-
rè pronun-
ciandum. cu-
jus non ha-
beas experie-
tiam.*

amicum beneficio affice, relatis his ad quos accedens in tāta civitate, virtutem quam ego nūc recensui, pro dignitate consequatur. A. Quid verò non ipse refers? S. At quos quidem ego doctores esse putabam, dixi, sed ut tu dicis, nihil dico. A. Et fortassis aliquid dicis. S. Quare tu ex parte ipsi dicas, quos Atheniensium accedere debet. Profer nomen cujuscunque voles. A. Quid verò unius hominis nomen proferre opus est? In quemcunque enim præstantem ac bonam Arheniensem inciderit, nemo est qui non meliorem ipsum faciet quàm Sophistæ, si modò parere voluerit. S. Nunquid hi præstantes & boni sua sponte tales facti sunt, ita ut à ne mine didicerint, & tamen alios docere possint ea, quæ ipsi non didicerunt? A. Et hos ego iudico à priorib. qui præstantes ac boni fuerunt, didicisse. Aut non videntur tibi multi præclari & boni viri in hac civitate fuisse. S. Mihi sanè, ò Anyte, & esse videntur hi præstātes in republica administranda viri, & fuisse etiā non minus quàm esse: sed num etiam doctores præstantes suæ virtutis fuerunt? Hoc enim est de quo nobis sermo est, non an sint, aut non sint hic boni viri: neque an in superiore tempore fuerint, sed an doceri possit virtus, dudum consideramus. Hoc autem considerantes, istud cōsideramus. Num boni viri & qui nunc sunt, & qui prius fuerunt, hanc virtutem qua ipsi præstantes fuerunt, etiam alii tradere noverunt: aut non tradi possit hoc homini: neque in aliū ab alio transfumi. Hoc est quod ego & Menon dudum quæ

Themistocles filius eques præstans.

rimus. Sic igitur ex tuo ipsius sermone rem cōsidera. Themistoclem non bonum virum fuisse fateris? A. Ego sanè maximè omnium. S. Nōne & doctorem bonum, si quis alius virtutis suæ doctor fuit, etiam illum fuisse? A. Arbitror ego, si quidem voluisset. S. At putas quod non voluerit, tum alios quosdam præstantes ac bonos fieri, tum maximè filium suū? aut putas ipsum invidisse illi & de industria virtutem non tradidisse, in qua ipse præstans erat? aut non audivisti quod Themistocles filium Cleophátum docuerit, ut eques præstans fuerit. Erectus itaque in equis stans manebat, & erectus de equis jaculabatur, & alia multa & admiranda faciebat, in quibus ille ipsum erudierat, & sapientem fecerat, in quantū bonos doctores attigerat. Aut hæc è senioribus non audivisti? A. Audivi. S. Non ergo naturam filii ipsius accusare quis poterit, velut quæ mala sit. A. Fortassis nō. S. Quid verò hoc, quòd Cleophantus Themistocles filius vir bonus & sapiēs in his quib. pater ipsius claruit, num ab aliquo juniore aut seniore audivisti? A. Nō sanè. S. Num igitur putamus in his ipsum voluisse filium suum instituere: in qua verò sapientia ipse præstans erat, nihilo vicinis præstantiorem facere voluisse, si quidem doceri virtus posset? A. Fortassis per Iovem nō. S. Hic itaque tibi talis virtutis doctor, quem etiam tu confiteris inter optimos ex prioribus fuisse. Alium autem consideremus Aristidem Lyfimachi. Aut hunc non confiteris bonum fuisse? A. Ego sanè omnino. S. Nōne & hic filium suum
Lyfima-

Lyfimachum, in quantum doctores attigerat, optimè omnium Atheniensium instituit? Virum autem meliorem quovis alio fecisse ne tibi videtur? Cum hoc enim & tu conversatus es, & vides qualis sit. Si verò vis, Periclem magnificè adeo sapientem virum, nosti ipsum duos filios educasse, Paralum & Xáthippum. A. Ego fanè. S. Hos equidem, velut nosti, equites quidem fecit nullo Athenièsiu inferioribus: & musicam, & certaminum genera, & alia quæ arte constant edocuit, ut nullo essent deteriores. Bonos autem viros facere non voluit? Arbitror equidem voluisse, sed docere res non poterat. Quo verò non paucos & vilissimos Atheniensium putes hoc facere nò potuisse, cogita, quod etiam Thucidides duos filios educavit, Melesiam & Stephanum: Et hos tum in aliis rectè instituit, tum optimos luctatores effecit, ut qui alterum Xanthiæ, alterum Eudoro instituendum tradiderit. Hi verò eo tēpore lucta omnibus præstare videbantur. Aut non meministi? A. Ego audivisse me memini. S. Non ne his ea quidem in quæ sumptum facere oportebat, filios suos edocuit: in quæ verò nullo sumptu opus erat, ut bonos viros faceret, ea scilicet nò docuisset, si doceri potuissent? At enim fortassis Thucydides vilis quispiam erat? At nōne habebat plurimos amicos tum Athenièses, tum auxiliarios. Imò & ex familia magna erat, & multa erat ipsi in hac republica. & apud alios græcos potentia. Quare, si quidem doceri potuisset, invenisset utique qui filios ipsius bonos effecisset, aut ex in

H

digenis, aut de extremis aliquem, si ipsi nō fuisset otium, ob reipublicæ administrandæ curā. At enim vereor, ô chare Anyte, ne virtus doceri nō possit. A. ô Socrates, videris mihi facilè de hominib. maledicere. Ego igitur consuluerim tibi, si mihi parere velis, ut caveas. Nam & in alia fortassis civitate facile est hominibus bene aut malè facere, in hac verò admodum. Arbitror autè te ipsum hoc nosse. S. ô Menon, Anytus videtur mihi succensere, & nihil miror. Primum enim putat me hos viros accusare Deinde putat etiā, se ipsum etiam unū ex his esse. At hic si aliquādo cognoscet, quid sit hominibus maledicere, succensere desinet. Nunc autem ignorat. Tu verò dic mihi, num etiam apud vos sunt præstantes & boni viri? M. Maximè. S. Quid igitur, volūt ne hi exhibere se ipsos juvenibus doctores, & confiteri se esse doctores, aut virtutem doceri posse? M. Nō per Iovem, ô Socrates: Sed nūc audieris ex ipsis quod doceri possit, nunc rursus quod non possit. S. Dicemus igitur hos esse hujus rei doctores, qui neque hoc ipsum confitentur? M. Nō mihi videtur, ô Socrates. S. Quid verò, Sophistæ hi, qui soli profitentur, videntur ne tibi virtutis doctores esse? M. Et Gorgiā ob hoc maximè laudo, ô Socrates, quòd nunquam audieris ipsum hoc promittentem, sed & alios deridet, quum promittere hoc ipsos audit. Sed profiteri oportere putat, eloquentes facere posse. S. Ergo neque Sophistæ videntur tibi doctores esse? M. Non habeo quod dicam, ô Socrates. Nam & mihi idem quod multis accidit

*Sophistæ nō
sunt virtu-
tis doctores.*

cidit, nunc quidem videntur, nunc verò non.
S. Nosti verò non solùm tibi & aliis civilibus vi-
ris ita videri, modò quidem doceri posse, modò
verò non: Sed etiam Theognidem Poetam ea-
dem hæc dicere nosii. M E N. In quibus versi-
bus? S. In Elegiis, ubi dicit:

*Tu bibe, tuq; ede cum his, quorum sit magna potestas,
Asside & his semper, deinde placere stude.*

*Namq; boni bona dant, sed consuetudo malorum
Perdet, si qua prius vel bona mens fuerit.*

Nosti quod in his velut doceri virtus possit,
dicit? M. Apparet. S. In aliis autem paululum
progressus, mētibus induci posset, si virtus (in-
quit) dicit quodam modo, quòd multam, & ma-
gnam mercedem ferrēt, qui hoc facere possent,
& nunquam ex bono patre, malus esset filius,
Consiliis parens rectis. Verum ipse docendo

Efficies nunquam, ut sit malus inde bonus.

Intellige, ipsum sibi ipsi de iisdem contraria
dicere. M. Apparet. S. Potes ne igitur dicere in
aliam quamcunque rem, cujus hi quidem, qui
se doctores esse asserunt, non solùm non alio-
rum doctores se esse confitentur, sed neque ipsi
scire: verùm viles & pravos esse circa hanc ip-
sam rem cujus doctores se esse asserunt: Qui ve-
rò confitentur se bonos & præstantes esse, nūc
quidem doceri ipsam posse asserunt, nunc autē
negant? Eos igitur, qui ita circa quācunque re
turbati sunt, dixeris ne tu propriè doctores es-
se? M E. Per Iovem non ego. S. Nonne si neque
Sophistæ, neque qui præstantes & boni sunt,
rei doctores sunt, manifestum est quod nō alii.

*Theognidis
versus con-
trarii.*

*Virtus do-
ctrina aut
disciplina
non compa-
ratur.*

M. Non mihi videtur. S. Si verò non doctores neque discipuli? M. N. Videtur mihi ita res se habere, velut dicis. S. Confessi autem sumus, rem cuius neque doctores neque discipuli sint, eam doceri non posse? M. Confessi sumus. S. Nonne virtutis doctores nusquam apparent? M. Est ita. S. Si verò non doctores, neque discipuli? M. Apparet ita. S. Virtus ergo doceri non potest. M. Non apparet, si nos rectè consideravimus. Quare etià admiror, ô Socrates, an neque sint boni viri, aut quis sit modus per quem fiunt boni viri. S. Videmur, ô Menon, Ego & tu viles quidem viri esse. Et te Gorgias, & me Prodicus non satis erudiisse videtur. Proinde præ omnibus animum nobis ipsis advertamus, & quæramus aliquem qui nos uno modo meliores efficiat. Hæc autem dico ad propositam quæstionem respiciens. Nam ridiculè nos latuit, quòd non solum scientia præeunte, rectè & bene hominibus res peraguntur: aut si non hoc concederimus, quod non solum scientia præeunte, sed etiam alia quadam re fortassis effugerit nos cognitio, qua sciamus quonam modo homines boni fiunt. M. Quomodo hoc dicis, ô Socrates? S. Hoc modo, quòd quidem bonos viros utiles esse oportet, rectè confessi sumus, hoc aliter habere. Nūquid? M. Etiam. S. O. C. Et quòd utiles erunt, si rectè nobis in rebus gerendis præfuerint, etiam hoc rectè confitemur? M. N. O. N. Etiam. S. O. C. R. A. Quòd autem non rectè præesse possit, si non quis sapiens sit, hoc non rectè confessi esse videmur. M. Quomodo non rectè dicis

dicis? S. Ego tibi dicam. Si quis gnarus viæ ad Larissam, aut quo voles aliò, is si adiverit, aut aliquis præiverit, aliudne quid quàm rectè & bene præiverit? M. Maximè. S. Quid verò si quis rectè quidem opinatur quæ sit via, profectus autem nunquam, neque sciens, adiverit, aut aliis præiverit, nonne & hic rectè præiverit? M. Maximè. S. Et donec rectam opinionem habet de his, quorum alter scientiã habet, nihilo deterior duxerit, putans quidem vera, non autem sciens, quamvis qui hoc novit? M. Nihilo sanè. S. Opinio ergo recta ad actionis rectitudinem, nihilo deterior dux est quàm sapientia ac scientia. Et hoc est quod supra reliquimus in consideratione de virtute, quale quid esset: quum diceremus, quod sapientia solum in rectè faciendo præiret. At hoc erat etiam opinio vera. M. Apparet. S. Nihilo ergo minus utilis est recta opinio quàm scientia. M. In tantum sanè, ô Socrates, quòd qui scientiam habet, semper assequitur: qui verò rectam opinionem quãdoque assequitur, quandoque non. S. Quomodo dicis? Qui semper habet opinionem rectam, nonne semper assequitur, donec recta opinatur? M. E. Necessarium esse mihi videtur. Quare admiror, ô Socrates, cum hoc ita se habeat, quid tandem scientia multo præstantior recta opinione habeatur, & cum diversa sint? S. Nosti igitur cur admireris, aut ego tibi dicam? M. Maximè, dic. S. Quia Dædali statuis animum non advertisti. Fortassis autem nò sunt apud vos. M. Ad quid vero hoc dicis? S. Quod etiam hæc, si quidem li-

*Scientiæ &
opinionis
differentia.*

*Statua Dæ-
dali fugiti-
væ.*

gatæ non fuerint, aufugiunt & fugitivæ fiunt:
 Si verò ligatæ, manent. M. Quid tum postea? S.
 Ex illius operibus solutum quidem comparare
 non magni prætii res est, quemadmodum ne-
 que fugitivum hominem: non enim permanet:
 ligatum verò multi prætii est. Sunt enim opera
 admodum præclara. Ad quid igitur hæc dico?
 Ad veras scilicet opiniones. Nam & veræ o-
 piniones quandiu quidem permanferint, præ-
 clara res sunt, & omnia bona operantur.
 Verùm multo tempore permanere non vo-
 lūt, sed ex hominis anima fugiunt. Quare non
 multi prætii sunt, donec quis ipsas causæ ra-
 tiocinatione ligarit. Hæc autē est, ô amice Me-
 non, recordatio, velut in superioribus à nobis
 consensum est. Postquam verò ligatæ fuerint,
 primum quidem scientiæ fiūt, deinde stables.
 Et propterea præstantior est scientia recta opi-
 nione, & vinculo differt, scientia à recta opinio-
 ne M. per Iovem, ô Socrates, tali quodam differ-
 re videtur. S. Sed & ego non ut qui sciam dico,
 sed conjecto. Quòd verò aliud quid sit recta o-
 pinio à scientia, hoc non admodum conjectare
 mihi videor: sed si quid aliud scire me dixerim,
 pauca verò dixerim, unum fanè etiam hoc po-
 fuerim inter ea quæ scio. M. Et rectè, ô Socrates,
 dicis. S. Quid verò hoc non rectè, quod vera o-
 pinio si præeat uniuscujusque actionis opus, ni-
 hilo deterius efficit, quàm scientia? M. Et hoc
 verè dicere mihi videris. S. Nihilo ergo recta o-
 pinio deterior est quàm scientia, neque minus
 utilis ad actiones: Neque vir qui habet rectam
 opinio-

opinionem, quàm is qui scientiã habet. M. Est ita. S. Sed & bonum virum utilem esse à nobis consensum est. M. Etiam. S. Postea igitur non solùm per scientiam, boni & civitatib. utiles viri fuerint, si quidem fuerint, sed etiam per rectã opinionem: Horum autem neutra ex natura hominibus adest, neque scientia, neque opinio vera: aut videtur tibi alterutra ipsarum ex natura adesse? M. Non sanè mihi. S. Nõne si non ex natura, neque boni viri ex natura fuerint? M. E. Non certè.

Neque scientia, neque opinio vera à natura insunt.

So. Quandoquidem verò non natura, considerabamus postea an doceri virtus possit? M. Etiam. S. Nõne doceri posse visa est, si sapientia esset ipsa virtus? M. Etiam. S. O. Et si doceri posset, sapientia esse visa est? M. E. Maximè. S. O. Et si quidem doctores essent, doceri posse visa est: si non essent, neque doceri? M. E. Ita. S. O. C. Atque confessi sumus non esse ipsius doctores. M. E. Est ita. S. Confessi ergo sumus neque doceri ipsam posse, neque sapientiam esse. M. Maximè. S. O. At verò bonum ipsam esse confitebamur? M. Etiam. S. Vtile autem & bonum esse id quod rectè præit? M. E. Maximè. S. O. Rectè autem præire duo hæc solum, opinionem veram & scientiam, quæ si habet homo, rectè præit. Nam quæ à fortuna contingunt, non humano ductu fiunt. Per quæ verò dux est homo ad id quod rectum est, duo hæc sunt, opinio vera & scientia. M. E. Mihi ita videtur. S. O. Nõne quandoquidem doceri non potest, neque per scientiam sanè virtus contingit? M. E. Non apparet.

Sola scientia & vera opinio rectè præit.

S. Quum ergo duo sint bona & utilia: alterum quidem reprobatum est, & non fuerit scientia dux in civili actione. M. Non mihi videtur. S. O. Non ergo sapientia quadam, neque ut qui sapientes sint, tales viri rebus publicis præsumunt, Themistocles scilicet, & hi, quos paulo antea Anytus hic recenserebat. Quapropter etiam tales facere non possunt, quales ipsi sunt, ut qui non per scientiam tales sint. M. Videtur res ita se habere, ô Socrates, velut dicis. S. Nône si nô sciëntia, opinio recta restat, qua viri civiles utentes, civitates & respublicas regunt, nihilo magis sapientia præstantes, quàm vates & qui responsa dant. Nam & hi dicunt quidem vera & multa, nihil autem sciunt ex his quæ dicunt. M. Videtur ita res se habere. S. Nône dignum est, ô Menô, ut hos viros divinos vocemus, qui cum mente præditi non sint, multa tamen & magnatum faciendo, tum dicendo, rectè perpetrant. M. Maximè. S. Rectè igitur vocaverimus divinos & eos quos nunc dicebamus vates, & qui responsa dant, & omnes Poeticos homines: & nô minus his, etiam civiles viros divinos esse, & numine duci dixerimus, ut qui afflati sint, & ex Deo correpti, cum multas & magnas res dicendo rectè peragant, & nihil tamen ex his, quæ dicunt, intelligant. M. Maximè. S. Et sanè mulieres bonos viros divinos vocant. Et Lacones quum aliquem bonum virum laudibus vehunt, Divinus vir hic est, ajunt. M. Et videntur sanè, ô Socrates, rectè dicere: eaiam si fortassis hic Anytus hoc dictum à te ægréferat. S. Nihil mihi curæ

*Viros civiles esse divinos.
Divini appellatio qui
us convenerat.*

curę est: & cū hoc quidē, ō Menō, etiam rursus disputabimus. Si verò nunc nos in tota hac disputatione rectè quæsiuimus ac diximus, virtus sanè neque natura contigerit, neque doceri poterit, sed divina sorte accedit absque intelligentia, his quibus accesserit, si non sit quis ex civilibus viris ejusmodi, ut etiam aliam civilē facere possit. Si verò fuerit, hic ferè talis inter vivos dici poterit, qualem dixit Homerus Tiresiam inter mortuos esse, ubi de ipso ait, quòd inter eos, qui apud inferos sunt,

Ille sapit solus, reliqui volitant velut umbræ.

Eodem modo etiā hic talis, velut juxta umbras, res vera fuerit ad virtutem. M. Optimè dicere mihi videris, ō Socrates. S. Ex hac itaque ratiocinatione, ō Menon, divina sorte nobis accedere videtur virtus, quibus accedit. Verum ré certam de ipsa tunc cognoscemus, quum antea quā quomodo hominibus virtus accedit, quærere prius aggrediemur, quid tandem ipsa per se ipsam sit virtus. Nunc verò tempus est mihi, ut aliquò abeam. Tu verò hæc quæ tibi persuasa sunt, etiam hospiti tuo huic Anyto persuadeas, ut māsuetior fiat. Nam si huic persuaseris, aliquando etiam Atheniensibus prodesse poteris.

Virtus divina tantum sorte accedit.

RERVM ET VERBORVM INDEX.

A

A	Cerbi qui 32	an inter homines sceleratos esse possit 58	que à virtute oritur, qualis 56
	Actio virtutis, ultimus hominis finis 7	Amicitia incommoda que appellandi sint sint 57	
	Actiones quæ metu malorum aut honesti fiunt, quomodo appellentur 18	Amicus amico quatenus obsequi debeat 56	
	cur voluntarijs subiciantur ibid. quibus ad virtutes perveniatur, quales esse debeant 15	Amici an magis tempore infortunii, an bonæ fortunæ appellandi 60	
	virtutibus in mediocritate constituentur 12	Amicorum proprium 56	tria paria 57
	voluntaria 17.18	à d'g'is 25	
	Actiones iustas qua ratione quis ediderit, nondum factus iustus 16	Anima hominum immortalis 81	
	Affectiones extremae repugnent ne virtutibus 17	Animi demissio an contemnenda aut fugienda 31	
	Agēs circa singularia versatur 6	Animo demisso qui dicantur 31	
	Agrestes seu duri qui dicantur 30	Ars circa qua versetur 47	
	Agēs 26	quid 47	
	Alcutores si æquo plura appetant, an avari sint putandi 28	de Artibus & scientijs an consultandum 20	
	Alcutores 26	Avaritia malum insanabile 28	
	Amare qui civiliter dicantur 60	Avarus ne an prodigus melior 27	
	Ambitiosus quis dicatur 32	Avari qui dicantur 27	
	Amicitia à voluptatibus orta qualis 56	Audax quis habeatur 12	
	Amicitia accidentalit 55		
		B	
		Beati qui recte dicantur 10	
		Beatitudo perfectissimum bonum 8	
		Beatus ante obitum nemo dicendus, Ouidio teste 10	
		ad Bene beateque vivendum omnes	

INDEX.

omnes actiones nostrae dirigendae	2	tur	52
Beneuolentia & amicitia an idem	59	D	
Bonum in diuersis prae- dicamentis 6 extremum, in quo hominis natura acquiescat, quibus ar- gumentis demonstratur	1	Damnum pro damno semper ne reddendum	40
Boni summi definitio	1	in Deliberationem quae ca- dant	20 21
Boni summi finis	3	Deus omnium bonorum fons	8
in Boni summi definitione an Aristotele ab aliis dissentia	7	Dialecticæ respondere quid sit 73 semper differendum & respondendum	73
Bonum hominis in exter- nis constituentibus quo modo Aristoteles con- sentiatur	8	Dialogi Platonis analysis	65
Bona quae dicantur	77	Difficiles qui	33
Bonorum non una scientia	6	διχασιον quo sensu Graecis dica- tur	39
C		διχασιον	26
Color quid	74	διχασις quasi διχασις	39
Comitas quid	29	Discere quid	81
Commerciorum genera quot	37	Disimulatio quot modis fiat	34
Constantinus cur Licinio bellum intulerit	20	Distributio equalis aut in- equalis ut obseruetur, quid faciendum	37
Continens an etiam perti- nax possit appellari	53	Diuitiae cur expetantur	5
Circa quas res versetur	51. 52	διχασιον	39
Continens & temperan- tis an idem subiectum	51	Docenda esse omnia candidè	67
Continentia circa quod vo- luptatis genus uerse-		de Doctrina ethices puer in- dicare non potest	2
		Dolor & voluptas, virtutum obiecta	15
		E	
		Electio quid	20
		ἐλευθερία	25
		in Emptione & venditione quare omnium commodissi- mè fiat adaequatio	41
		Essentia rei ignorata, neque	

INDEX.

qualitatem eius sciri posse	67	catur 64 quotuplex 63 sū- mum bonum 2 unde oria- tur	7
Ethica quid 1 unde scier- tia dicatur	1	Felicitatis consequendæ mo- dus 8 contēplatiua ab aēti- ua distinctio 64 primaria causa	8
Ethices auditores	2	Felicitatem humana diligen- tia cōparari probetur 9 un- de homines consequantur	8
Ethices finis 4 finis	1	Felix an amicis indigeat 59 an multos amicos concilia- re debeat	59
de Ethices sine quod uete- res præceperunt	3	Feneratorum si æquo plura ap- petant, an auari sunt pu- tandi	28
Ethicę tractatio an ad ui- tam bene degēdā confe- rat	2	Fortitudo an in omni mortis genere cernatur 22 circa quas terribiles res verse- tur 22 quid	21
Eudoxus uir in voluptate summum bonū posuerit	61	Fortitudinis extrema quæ 22 finis quis 22 subiectū quod nam	21
Eius argumenta an satis firma	61	Fortuna cur non felicitatis causa dicatur	8
F		Fures & latrones si æquo plu- ra appetant, sint ne auari putandi	28
Facti ignorātia an semper excuset	19	G	
Feritas heroici uirtuti con- traria	51	Geometrica proportio	12
Fidei definitio Ciceronia- na	34	Glaucus iniuriam non acce- pit aurea pro ferreis arma dando	44
Figura quid	71.72	Grammaticus quis dicatur	16.17
Figuram esse finem solidi	73	H	
Finis ecquid in deliberatio- nem cadat	21	Habitus à prudētia quid dif- ferat 50 qui prudentiæ vi- cini	
Finem hominis nō esse Pla- tonicā bonorum ideam	5		
Felicitas an à forma vel ca- su dependeat 8 bonum πολύκοινον 10 contēplatiua an aētiua constantior 63 cur non fortuita 9 est bonum πολύκοινον 9 ex quo genere 63 maximè stabilis quādo perfecta di-			

INDEX.

eini	49	25	
Hesiodus quem inutilem auditozem asserat	3		Intemperantia ignauia dete- rior 24
Hominis finis an in diui- tys collocanda & summū bonum actio uirtutis	11		de Interficiētibus seipfos quid sentiendum 45
uerus finis	6		Inuitus fecisse qui non rebelē dicatur 19
Honor & magis in honorā tib. quā in honoratis con- sistit	4		Ioannis Baptistae abstinentia 51
Honoris cupiditas an pro- priē aliqua uirtus dica- tur	31		Ioseph ab uxore domini sui ab- stinet 20
Humilitas sepē à Christo praecepta	31		Ira aut dolore impulsī qui pe- ricula adēnt, an fortes dicē- di 23
I			Ira ne, an cupiditatis inconti- nentia turpior 53
Idea communis in quibus non 6 cur non summū bonū Aristoteli 6 Plato nica & una diuersarum specierum constitui non potest	6		per Iram aut cupiditatem quae fiunt, an sint uoluntaria 20
Idea platonis aeterna	6		ex Ira qui nocent, cur non di- cendi iniusti 44
Ignorantia omnis an deli- ctum excuset	19		Iracundi qui dicantur 33
Ignorantiam iuris prae- xentes, cur uenia digni non iudicentur	20		Iracundorum hominum unū ne genus an multiplex 33
Incontinens & intempe- rans quomodo plenius distinguat	52		Iudex estne iniustus haben- dus qui iniquum iudicium interponit 44
Indigentia humana an in contractib. omnium pon- derare soleat	41		Iudicis officium quodnam 39
Iniuria quae dicatur	43		Ius ciuile inter quos maximē locum habeat 42 legitimū an mutabile 43
Iniuriam an quis sciēs & uolens patiat	44		Ius quotuplex 42 summum 45.46
Intemperans ne an stupi- dus magis delinquat	24		Iura naturae an mutabilia 42
			Iustitia cōmutatiua 37 ei qua ratione arithmetica propor- tio conueniat 38
			Iustitia distributiua 37 ei qualis proportio conue-

INDEX.

ueniat 38 particularis	Mulieris virtus	68
quomodo definiatur 37		
eius distincta genera 37	N	
Iustitia qualis uirtus 36	Naturę cuiuslibet actio pro-	
Iustitia uniuersalis que 37	pria eius est finis	7
in Iustitia commutatiua	Nomisma cur inuentum	41
quenam proportio ob-	Noscendi & querendi ratio	80
seruanda	O	
38	Officiorum expertes an recte à	
Iustus in quibus quatuor	philosophia morali arcean-	
minimis consistat	tur	3
38	Opinio an sit nonnullis	50
L	Ostentator quis	34
Lamie uoluptas qualis	Ostentatorum genera quos	
52	34	
Largiendum quantum a-	Ouidij locus	10
lius sit	P	
27	Papistarum errores plurimi	
Legis & equitatis discri-	non excusandi	20
men	Pauper an magnificus esse pos-	
46	sit	29
Liberalis ecquid interdū	Pericles an prudens	48
beneficia accipiet	Pertinacis & continentis dif-	
27	ferentia	53
Liberalitati quę repu-	Prodigalitati definitio	28
gnent	Prodigus auaro melior	28
27	Pueri cur non recte felices ap-	
M	pellentur	91
Magnanimitas qualis uir-		
tus	Q	
30	Quadrangulus	82
Magnimitati qui resistat	Quærendi & noscendi tem-	
31	pus	80
Magnificencia qualis uir-	Qualitas rei sine essentia sciri	
tus	nequit	67
28	R	
Mansuetudinis subiectum	Ratio recta uirtutis norma	15
32	Res posterorum cur ad felicem	
à Mansuetudine quę dis-	pertineant	10
sentiant	Rerum omnium explicatio	
32	quomodo	
Marię uirginitas		
51		
Milites uulgares an fortes		
dicendi		
23		
Miserum esse quid		
76		
Moralium uirtutum spe-		
cies		
25		
Morosi qui		
33		
Morte nihil terribilius		
22		

INDEX.

quomodo debeat fieri	79	Timidus & ignavus quis ha	
de Rebus secundis quid sen		beat	12
tiendum	9	Totius cognitio partium sem	
		per prior	78
S			
Sagacitas quid	50		
Sanctas eadem omnium ho		M. Varronis de philosophia li	
minum	69	ber	3
Sapiens quis dicatur	47	Veracitas quid	33-34
Scientia quarum sit rerum		Veritatis disputata	34
	45	Vir bonus cur animum non	
Scire quando quis dicatur		mutet	9
	47	Viri virtus	68
Solertia quid	49	Virtus est concupiscentia pul	
Stupido deterior intempe-		cri	75
rans	25	Virtus non raro maximis pe-	
Substantia prior acceden-		riculis coniuncta	5
tibus	6	Virtutis definitio	11
Superbi qui sint	31	ad virtutis firmitudinē quid	
		requiratur	7
T			
Tetragonus sibi semper si-		Virtutis habitus	12
milis	9	Virtutis heroice quod vitia	
Thessalorum admiratio in-		contrarium	51
ter Græcos	66	de Virtute dialogus	65

FINIS



L10 29
h17

AB 40 ²⁹
h17

ULB Halle

3

002 055 430





ET
AR
AL

Gu

*Cui ad
Dia
bre*

apud

